De vi et usu particulæ ὩΣ apud Thucydidem Commentatio.

Quam

Venia ampl. ordinis philosophorum Lundensis

publicæ disputationi subjicit

THEODORUS WISÉN,
Cand. philos., Calmariensis.

in Academia Carolina a. d. XI Kal. Jun. MDCCCLXII.

h. a. m. VIII.

Hauniæ,

typis Schultzianis,

MDCCCLXII.

In

Sacram Regiam Majestatem

Spectatæ Fidei Viris,

PETRO WISÉN,

Præposito et Pastori Ecclesiarum Repplinge et Högsrum.

Patri Carissimo.

et

ANDREÆ GEORGIO ELFSTRÖM,

Theologiæ et Philosophiæ Doctori,
Territorii Stranda Præposito, Ecclesiæ Mönsterås Pastori,
Reg. Ordinis de Stella Polari Membro.

Avunculo Optimo.

hanc dissertationem pia mente dedicat

Th. Wisén

Ut omnes res humanæ, quæ quidem excoli possint, primum majore in dies auctu crescunt viresque suas explicant, mox vero, ubi ad summum in suo quæque genere perfectionis fastigium perductæ sunt, inclinari coeptæ ad occasum quendam feruntur, ita lingua quævis, dum in ore hominum vivit, varias mutationum semper subit vicissitudines. Si quis igitur linguæ cujusdam accuratiorem cognitionem sibi parare volet, omnem sermonis varietatem diligentissime investigandam suscipiet. Quæ quum de aliis, tum de Græca lingua verissime dici possunt. Nulla enim fere est lingua, neque apud veteres illos, neque recentiore demum ætate, quæ ad tam altum gradum perfectionis pervenerit, quam Græca. Plures erant sermonis Græci differentiæ et jam ab antiquissimis temporibus scriptores suo quisque genere loquendi usi sunt; opera eorum præstantissima omnes, qui postea ejusmodi res scribendo tractabant, ad imitandum sibi proposuerunt, quæ imitatio adeo fuit diligens adeoque exemplo proposito quasi addicta, ut ne ab eadem quidem dialecto, qua superiores illi scripsissent, desciscere solerent. Atque hac ex re ipsa multiplex variusque usus loquendi ortus est, nec quisquam, qui quanta sit Græcæ linguæ copia verborum, in quam diversos flexus hæc exeant, quam multis modis inter se copulentur et conjungantur, diligenter consideraverit, facile negare poterit, linguam

Græcam omnibus fere aliis quum ubertate quadam tum subtilitate atque elegantia longe præstare. Ac subtilitas illa haud scio an in ullo genere verborum, ex quibus omnis oratio conficitur, magis sit perspicua, quam in particulis, ut a grammaticis appellari solent. Ac particulis illis Græca lingua certe abundat, quæ, quum modis pæne innumerabilibus cum aliis verbis conjungi possint, hominibus in studio literarum Græcarum versantibus materiam disquisitionum quam uberrimam præbent. Et est tota hæc res, ut dignissima quam perscrutemur, ita ad tractandum difficillima; neque eo perveniri potest, ut certum aliquid de ea statuatur, nisi, quibus modis particula quæque a singulis scriptoribus usurpatur, eos diligenter perpenderis omnes atque inter se comparaveris. Sed labor tam immensus supra vires unius hominis est, quam ob caussam plures ad has res enodandas aliquid pro facultatibus conferant necesse est. Multa quidem jam contulerunt viri doctissimi; multa tamen adhuc restant, quæ aut diligentiore disceptatione egere videantur aut negligenter prætermissa sint. Nam in ejusmodi quæstionibus tenuissima discrimina significationum verborum definienda sunt et ad minutissimas res sæpe descendendum, neque satis est de uno aut altero loco, ubi verbum quoddam legitur, quærere, quoniam nisi omnibus locis inter se collatis quid vere de re ipsa judicandum sit assequi non possumus. Quam vero difficile sit sermonem vel unius scriptoris recte cognoscere, vel ex iis concludi licet, quæ de libro unoquoque veterum illorum ab iis, qui philologi appellantur, commentata et composita sunt. Verum enim vero sperandum est, fore, ut omnis illa doctrina, quæ in significationibus verborum variisque modis, quibus inter se conjunguntur, explicandis versatur, talibus quæstionibus in dies magis magisque progrediatur, et ut ea, quæ aut incerta aut paulo obscuriora sunt, e tenebris in lucem eruantur. Eo etiam nunc perventum est, ut in his rebus prosperiore successu elaborari posset; nam multi homines recentioribus

potissimum temporibus in ipsa verba scriptorum a corruptelarum sordibus purganda summo studio incubuerunt. Multa enim menda librariorum tollenda sunt, quæ aut incuria eorum aut inscitia aut denique perverso emendandi studio in ipsum contextum orationis irrepserunt; multa quoque ab iis, qui in arte notas librorum manu scriptorum investigandi et persequendi parum callerent, in editiones typis descriptas inducta sunt. Quæ omnia resecari oportet, si in sermonem singulorum scriptorum inquirere volumus.

Jam omnibus libris scriptorum veterum Græcorum multi in studio hujus linguæ operam navantes adnotata et commentationes suas addiderunt; neque defuerunt, qui difficultates sermonis Thucydidei explicare atque excutere conarentur. Popponi, Goellero, Betantio, Kruegero, aliis, laudi tribuendum est, quod multos locos scriptoris illius difficiles et contortos explanarunt et argumentando expedierunt. Et Thucydides, creber ille rerum frequentia scriptor, multa sane argumenta posteris tractanda reliquit; nam in eo genere dicendi, quod is sibi elegit, multæ insunt proprietates, quæ in brevitatis studio, in ipsa sermonis sublimitate cum asperitate quadam conjuncta, in vocabulorum electione atque ornamentis orationis, in consecutione denique verborum maxime cernuntur. Ac multa quidem ad Thucydidis consuetudinem scribendi cognoscendam Betantius ille in lexico a se edito contulit; attamen de articulo et pronominibus et particulis nullam fere fecit mentionem, quia ad id studium, quod ii profitentur, qui grammatici vocantur, hæc omnia potius referenda esse censebat. Quum vero ex usu particularum id, quod proprium esset sermonis Thucydidei, maxime appareret, Poppo ad librum Betantii supplendum de nonnullis illius generis vocabulis literarum ordine dispositis observationes conscriptas edidit; nondum tamen usque ad particulas a postremis litteris incipientes opus ejus transactum est. Quare non prorsus inutile esse credidimus de vi et usu particulæ

ὡς apud Thucydidem quærere. Atque eam viam disquisitionis ineundam putavimus, ut quæ esset naturalis et principalis significatio hujus particulæ primum quæreremus, tum quomodo ceteræ significationes pro varia consecutione verborum ex illa tamquam ex fonte quodam profluerent videremus. Quapropter omnes locos, ubi ὡς particula apud Thucydidem legebatur, adnotavimus et in ordinem quendam redactos inter se quam potuimus diligentissime contulimus. In locis Thucydideis laudandis editionem Kruegeri (Berol. 1858—1861) secuti sumus.

Ad veram atque propriam significationem particulæ ὡς recte definiendam etymologiam ipsius vocis diligenter persequi necesse erit. Atque omnes, quorum est de his rebus judicium, in eo consentiunt, quod particulam ὡς a pronomine ὅς eodem modo, quo αὕτως ab αὐτός, οὕτως ab οὗτος, ἐκείνως ab ἐκεῖνος, aliaque id genus vocabula in -ως desinentia, originem ducere censent. Plurimæ particulæ non sunt nisi substantiva vel adjectiva casibus quibusdam obsoletis conformata et ab usu perfectioris sermonis jam diu intermissis; nam antiquissimum Græcorum sermonem plures habuisse casus, quam qui in monumentis literarum, quæ nobis cognita sunt, inveniuntur, certe constat aut saltem verisimile est[1]). Terminatio illa -ως, vel, ut antiquitus erat, -ωτ, nativa erat casus ablativi, qui etiam in lingua Sanscrita et prisco Romanorum sermone in literam dentalem exitum habebat[2]). Literam τ in σ sæpissime

---

[1]) Cfr. Regnier, Traité de la formation des mots dans la langue grecque, Paris 1855, pag. 382; Kühner, Ausf. Grammatik d. griech. Sprache, Hannover 1834, I. § 361. 2.

[2]) Cfr. Kühner, l. l. § 363, A. 3; Bopp, Vergl. Gramm. des Sanskrit &c., 2. Aufl., Berlin 1857, I, 2, pag. 350 sqq.; Regnier, l. l. pag. 423, ubi hæc quoque ad sententiam suam probandam affert: „dans l'inscription de la colonne de Duilius on lit altod

mutari nemo ignorat; hoc modo ex *κέρατ-* ortum est *κέρας*, *φῶς* ex *φῶτ-*, *πρός* ex *πρότ* vel *προτί*, cet.; sæpe etiam excidit *σ*, ut *οὕτω* et *ἄφνω* pro *οὕτως* et *ἄφνως*[1]). Primum Ablativo locus significatur, unde quis discedat vel originem ducat; cum hac principali significatione Ablativi modi et caussæ, qui dicuntur, arctissime cohærent. Vim vero illam, qua ratio vel modus, quo quid fieret, significaretur, a vocabulis illis Græcis, in *-ως* desinentibus, potissimum vindicatam esse grammatici docent[2]). Quam significationem primam atque principalem particulæ *ὡς* statuere nobis quoque consentaneum videtur.

Apud antiquissimos Græcos eadem vox locum pronominis demonstrativi ac relativi tenebat; quare apud Homerum pronomen illud *ὅς* sensu demonstrativo usurpatum sæpe invenimus.[3]) Sed apud Atticos, paucis formulis loquendi exceptis, tantummodo locum pronominis relativi tenet. Atque particulæ *ὡς* prorsus eadem est ratio. Demonstrativum illud *ὥς*, pro *οὕτως* positum, in libris scriptorum Atticorum numquam fere legitur, nisi in locutionibus illis *καὶ ὥς*, *οὐδ᾽ ὥς*, *μηδ᾽ ὥς*. Cujus rei multa exempla a Thucydide sumi possunt. Cfr. I, 44, 2, *ἐδόκει γὰρ ὁ πρὸς Πελοποννησίους πόλεμος καὶ ὥς ἔσεσθαι.* V, 115, 1, *καὶ Λακεδαιμόνιοι δι᾽ αὐτὸ τὰς μὲν σπονδὰς οὐδ᾽ ὣς ἀφέντες ἐπολέμουν αὐτοῖς.* VIII, 87, 3, *καὶ γὰρ*

---

marid pour alto mari; navaled prædad pour navali præda.

[1]) Cfr. Meyer, Vergl. Gramm. d. Griech. und Latein. Sprache, Berlin 1861, I. pag. 229.

[2]) Cfr. Kühner, l. l., I. 363. A. 3. — Hartung, Ueber die Casus in d. griech. und lat. Sprache, Erlangen 1831, pag. 225.

[3]) Cfr. Kühner, l. l., II. § 781, 1. — Hartung, l. l. pag. 270: „Das gegenseitige Hinweisen aus einem Satze auf den andern wird einfach durch zweimaligen Gebrauch desselben Demonstrativums bewerkstelligt“.

ὡς αὐτοῖς οὐδὲν ἔμελλε χρήσεσθαι. I, 132, 5, ἀλλ' οὐδ' ὡς οὐδὲ τῶν Εἱλώτων μηνυταῖς τισι πιστεύσαντες ἠξίωσαν νεώτερόν τι ποιεῖν ἐς αὐτόν. Cfr. I, 74, 2. III, 33, 2. V, 55, 2. VII, 28, 3. 74, 1. 75, 6. 81, 6. VIII, 51, 2. 56, 3. — Semel ὡς pro οὕτως simpliciter dictum est in III, 37, 5, ubi omnes fere recentiores scribunt: ὡς οὖν χρὴ καὶ ἡμᾶς ποιοῦντας μὴ δεινότητι καὶ ξυνέσεως ἀγῶνι ἐπαιρομένους παρὰ δόξαν τῷ ὑμετέρῳ πλήθει παραινεῖν. Olim perperam ὡς sine accentus nota scribebatur. Pro ὡς alii aut ὃ aut ὧδ' scribere malunt.[1])

Particula relativa accentus nota caret: demonstrativæ vero apposita est nota illa. Docent grammatici veteres quidam ὧς scribendum esse[2]), ubi pro οὕτως vel ὅμως positum est, quod tamen præceptum sero demum observarunt recentiores.[3])

---

[1]) Cfr. Plat. Protag. p. 338 A: ὧς οὖν ποιήσετε καὶ πείθεσθέ μοι.

[2]) Cfr. Apollonii Sophistæ Lexicon Homericum, ed. Imm. Bekker, Berol. 1833, pag. 170: δασυνόμενον καὶ περισπώμενον τὸ ὧς τὸ ὁμοίως (ὅμως?) δηλοῖ· „ἀλλὰ καὶ ὧς ἐθέλω δόμεναι πάλιν", καὶ „ἀλλ' οὐδ' ὧς ἑτάρους ἐρύσατο ἱέμενός περ". Cfr. Scholia in Iliad. (ed. Imm. Bekker, Berol. 1825) ad I, 116 et III, 159. — Scholia in Odyss. (ed. Dindorfius, Oxon. 1855) V, 430: τινὲς περιέσπασαν τὸ ὧς, ἵνα σημαίνῃ τὸ ὅμως, ἔνιοι δὲ ὤξυναν. — Lehrsii Quæstiones Epicæ, Regim. 1837, pag. 63, not. **): . . . „Tantum certum est et Apollonium Dyscolum et lexici Homerici conditorem et Herodianum et Tyrannionem et Aristarchum scripsisse καὶ ὧς et οὐδ' ὧς: Tryphonem non sic scripsisse ex Apollon. conj. 523 colligi non potest: de caussis dissensio erat, utrum mutetur accentus propter positionem an propter significationem. An hi antiqui præter illas formulas ὧς scripserint incertum". De hac re copiosius disputat Schmidtius, in „Beiträge zur Geschichte der Grammatik d. Griech. u. d. Latein.", Halle 1859, pag. 209, sqq.

[3]) Cfr. „Buttmans ausf. Griech. Sprachlehre", Berlin 1839, II, 1, § 116, 9, A. 14. — Imm. Bekkerus in editione Carm. Homer. (Bonnæ 1858), quam ultimam paravit, ubique ὧς scripsit.

His breviter præmissis ad propositum nostrum jam revertamur. Diximus ὡς particulam esse relativam et Latinam vocem quo modo vel ut (non interrogative sed relative) proprie significare. Quam significationem primariam multis locis apud Thucydidem servatam esse invenimus. Illud vero observatum voluimus, ὡς aliis in locis aliter reddi posse, ita tamen ut significatio principalis ubique facillime enucleari possit. In enuntiationibus illis comparativis vocabulo alicui demonstrativo, quod sæpissime intelligendum est, particula ὡς respondet. Si οὕτως legitur, ea enuntiationum inter se est ratio, ut utraque sententia per se pronuntietur et quasi sui juris habenda sit inque suo utraque loco et numero ponenda. Apud Thucydidem hos tantummodo locos adnotavimus, ubi demonstrativum vocabulum legitur: I, 22, 1, *ὡς δ' ἂν ἐδόκουν ἐμοὶ ἕκαστοι περὶ τῶν αἰεὶ παρόντων τὰ δέοντα μάλιστ' εἰπεῖν, ... οὕτως εἴρηται.* V, 1, 2, *καὶ οἱ μὲν Δήλιοι ... ἐν τῇ Ἀσίᾳ ᾤκησαν, οὕτως ὡς ἕκαστος ὥρμητο.* VII, 44, 2, *ἑώρων δὲ οὕτως ἀλλήλους ὡς ἐν σελήνῃ εἰκὸς ....* Cum his comparari potest: IV, 87, 1, ... *ξυμφέρει ὁμοίως ὡς εἶπον.* Cfr. V, 68, 3. De aliis locis, ubi ὡς cum οὕτως conjunctum invenitur, infra scripsimus.

Interdum particulæ ὡς vocabulum καὶ in enuntiatione, quæ sequitur, positum respondet: II, 93, 3, *ὡς δὲ ἔδοξεν αὐτοῖς, καὶ ἐχώρουν εὐθύς.* III, 71, 1, *ὡς δὲ εἶπον, καὶ ἐπικυρῶσαι ἠνάγκασαν τὴν γνώμην.* VII, 43, 1, *ὡς ἐπενόει, καὶ τὴν ἐπιχείρησιν τῶν Ἐπιπολῶν ἐποιεῖτο* (alii omittunt καί). VIII, 27, 5, *ὡς δ' ἔπεισε, καὶ ἔδρασε ταῦτα.* Cfr. IV, 8, 7. VII, 60, 3. VIII, 1, 5. 8, 3. In ejusmodi locis vis illa principalis particulæ ὡς ad temporalem deflectere jam incipit.

Sed plerumque demonstrativum illud abest et audiendum est. Atque enuntiatio comparativa, quæ ab ὡς incipit et in qua particula illa vim suam principalem retinet, proxime ad prædicatum, quod dicitur, enuntiationis ejus, ubi voca-

bulum demonstrativum intelligendum est, vel ad vocem cum prædicato arctíssime conjunctam semper referenda, indicat et definit quo modo vel qua ratione prædicatum sententiæ primariæ subjecto tribuendum sit.[1]) Hæ enuntiationes non adeo pares habendæ sunt, sed relativa illa arctius cum sententia primaria conjungitur et tamquam additamentum ad eam accuratius definiendam adscripta est. Ejusmodi enuntiationum exempla apud Thucydidem ubique leguntur. Jam in I, 1, 1, hæc inveniuntur: *Θουκυδίδης ξυνέγραψε τὸν πόλεμον ..., ὡς ἐπολέμησαν πρὸς ἀλλήλους.*[2]) Cfr. I, 22, 2, *γράφειν ὡς ἐμοὶ ἐδόκει.* II, 1, *γέγραπται ἑξῆς ὡς ἕκαστα ἐγίγνετο.* Cfr. V, 26, 1. V, 26, 5, *τὰ ἔπειτα ὡς ἐπολεμήθη ἐξηγήσομαι.* III, 59, 2, *ἡμεῖς τε, ὡς πρέπον ἡμῖν καὶ ὡς ἡ χρεία προάγει, αἰτούμεθα ὑμᾶς* ... IV, 34, 1, *ἔβαλλον λίθοις τε καὶ τοξεύμασι ..., ὡς ἕκαστός τι πρόχειρον εἶχεν.* IV, 104, 2, *οὐδὲν ... ὡς προσεδέχετο ἀπέβαινεν.*[3]) V, 85, 2, *καὶ πρῶτον, εἰ ἀρέσκει ὡς λέγομεν εἴπατε.* IV, 90, 4, *καθίστατο ... τὰ περὶ τὸ προτείχισμα, ὅσα ἦν ὑπόλοιπα, ὡς χρῆν ἐπιτελέσαι.* V, 26, 2, *τοῖς τε γὰρ ἔργοις ὡς διῄρηται ἀθρείτω, καὶ εὑρήσει οὐκ εἰκὸς ὂν εἰρήνην αὐτὴν κριθῆναι.*[4]) VII, 50, 4, *οὐδ' ἂν δια-*

---

[1]) Cfr. Thomæ Magistri Ecl. vocum Atticarum, ex recens. Ritschelii, Halis Sax. 1832, pag. 419: *τὸ ὡς ἀντὶ τοῦ καθά.* De hac re grammatici veteres nihil amplius dixerunt.

[2]) Matthiæus (ausf. gr. Gram., Lpz. 1835, II, § 485) hanc enuntiationem esse interpretationem quandam vocabuli *πόλεμον* et ad id proxime referendam censet. Quod si ita esset, Thucydides eundem sermonem temere iterasset. Recte Schol. dixit, *τὸν τρόπον*, non *τὸ πρᾶγμα*, his verbis significatum esse.

[3]) Kruegerus legit *ὧν προσεδέχετο*, quæ conjectura etsi sagacissima tamen non prorsus necessaria videtur.

[4]) Hunc locum cum Boehmio sic interpretamur: „Hæc enim ipsis rebus gestis, ut (a me in ordinem) disgestæ sunt, spectet (aliquis) et reperiet consentaneum non esse eam judicari pacem".

βουλεύσασθαι ἔτι ἔφη, πρὶν, ὡς οἱ μάντεις ἐξηγοῦντο, τρὶς ἐννέα ἡμέρας μεῖναι (alii: *ἃς οἱ μάντεις* ...). — Cfr. I, 21, 1. 93, 1. 135, 1. 144, 3. 145, 1. II, 17, 2. 21, 3. 37, 1. 48, 2. 51, 1. 52, 3. 89, 6. III, 45, 3. 71, 1. IV, 25, 1. 40, 1.[1]) 48, 3. 55, 1. 58, 1. 96, 5. 111, 2. 123, 2. V, 21, 1. 60, 2. 66, 1. VI, 2, 2. 11, 2.[2]) 20, 1. 44, 2. 55, 1. 57, 1. 73, 1. 85, 2 (verbum *εἶναι* omissum est). VII, 13, 3. 36, 2. 60, 3.

In formula illa *ὡς οὔπω πρότερον* prædicatum audiendum est: II, 20, 1, ... *παρεσκευασμένους ἐς πόλεμον ὡς οὔπω πρότερον*. III, 13, 3, *καιρὸς δὲ ὡς οὔπω πρότερον*. V, 63, 1, *παρασχὸν καλῶς ὡς οὔπω πρότερον* [*αὐτοὶ ἐνόμιζον*].[3])

In enuntiationibus interpositis, quas cum sententia primaria remissius conjunctas passim addidit scriptor, ubi, unde quid cognitum sit, quasi prætereundo admonet, particula *ὡς* vim modalem, quæ dicitur, meram et integram retinet. VI, 20, 1, *ἐπὶ γὰρ πόλεις, ὡς ἐγὼ ἀκοῇ αἰσθάνομαι, μέλλομεν ἰέναι μεγάλας*. I, 9, 3, *φαίνεται γὰρ* ... *προσπαρασχών, ὡς Ὅμηρος τοῦτο δεδήλωκεν*. Cfr. I, 13, 4. 128, 4. II, 49, 1. III, 13, 5. IV, 60, 1. VI, 34, 6. 60, 3. VII, 12, 2. VIII, 90, 4. In quibus hæc

---

Cfr. Herodot. VII, 16, 3, *εἰ δὲ ἄρα μή ἐστι τοῦτο τοιοῦτο, οἷον ἐγὼ διαιρέω, ἀλλὰ* ... VII, 103, *εἰ τὸ πολιτικὸν ὑμῖν πᾶν ἐστι τοιοῦτον, οἷον σὺ διαιρέεις* .. Ibid. II, 6. — Plura exempla in Steph. Thesaur. sub voce *διαιρῶ τοῦτο* inveniuntur. — Hanc significationem verbo *διαιρεῖν* hic tribuendam esse ex eo quoque apparet, quod in Mss. quibusdam legitur *ὡς διείρηται*.

1) Schol. hoc loco *ἕως* pro *ὡς* legisse videtur; nam dicit: *ἤγουν ἕως δύναμις περιῆν αὐτοῖς*.

2) De *ὥς γε* vide: Matthæi Devarii lib. de Græcæ linguæ particulis, ed. R. Klotz, Lpz. 1840, II, 2, pag. 311; Popponis Suppl. Betantii Lexici Thucydidei, II, pag. 6.

3) Kruegerus hæc verba uncis includens recte fecisse nobis videtur. Nam scholium sane redolent. In omnibus tamen Mss. reperiuntur.

quoque enumeranda sunt: ὡς φασί II, 102, 5 et VI, 37, 1; ὡς φατέ III, 63 (bis); ὡς ἔφασαν VIII, 89, 2 (in nonnullis mss. ὡς cum ἀδεῶς, ἀδεῶν, al., confunditur); ὡς λέγεται I, 24, 2. 118, 3. 132, 6. 138, 1. II, 18, 3. 48, 1. III, 79, 2; ὡς ἐλέγετο VII, 86, 4. VIII, 50, 3; ὡς εἰκός (verbum εἶναι semper excluditur) I, 4, 1. II, 21, 2. III, 104, 7. VI, 2, 4. VII, 44, 2. VIII, 2, 2. 88, 1; ὡς ἔοικεν I, 77, 3; ὡς ἐμοὶ δοκεῖ I, 3, 4. 10, 5. 93, 5. 141, 1; ὡς ἐδόκει δὴ VIII, 87, 1.[1]) In hujusmodi sententiis interjectis constructio personalis, quæ dicitur, pro impersonali interdum usurpatur, ut in III, 94, 4, (οἱ Εὐρυτᾶνες) ὠμοφάγοι εἰσίν, ὡς λέγονται. V, 75, 2, καὶ τὴν ... αἰτίαν .... ἀπελύσαντο, τύχῃ μὲν, ὡς ἐδόκουν, κακιζόμενοι, γνώμῃ δὲ οἱ αὐτοὶ ἔτι ὄντες V, 113, ἀλλ᾽ οὖν μόνοι γε ἀπὸ τούτων τῶν βουλευμάτων, ὡς ἡμῖν δοκεῖτε, τὰ μὲν μέλλοντα τῶν ὁρωμένων σαφέστερα κρίνετε, τὰ δὲ ...

Omnibus in locis, quos supra adnotavimus, Indicativus modus (sine ἄν) usurpatus est; ea enim definitio, quæ in enuntiatione comparativa continetur, pro vera et certa affirmatur. Conjunctivus cum ἄν copulatus in ejusmodi enuntiatis interdum invenitur, et tum quidem, quum ipsa ratio ejus rei, quæ in enuntiatione comparativa verbis effertur, prout incidunt caussæ et tempora, quodammodo mutatur et variatur; in incerto relinquuntur variæ conditiones, ex quibus ratio illa pendet. Neque in his locis mentio fit de rebus, quæ sunt, sed de iis tantum, quæ fieri possunt, et quas ad effectum quendam adductum iri sperandum est. Talem enuntiationem relativam non pro pro-

---

[1]) Hic ὡς — δὴ ironice positum est. De usu et significatione particulæ δή, quum post particulas relativas legitur, vide Klotzium, l. l. II, 2, pag. 405; et Popp. Suppl. II, pag. 17 et 18, ubi loci plerique Thucydidis, qui huic rei explicandæ inserviant, collecti et laudati sunt.

tasi quadam hypothetica sed pro apodosi, cujus protasis intelligenda est, habendam esse recte monuit Nægelsbachius.[1]) Tres tantummodo loci apud Thucydidem reperiuntur, qui huc proxime referendi sunt; quorum numerus ut sit exiguus, aliqua tamen orta est de iis dissensio interpretum. In III, 82, 2, primum exemplum legitur: *καὶ ἐπέπεσε πολλὰ καὶ χαλεπὰ κατὰ στάσιν ταῖς πόλεσι, ... μᾶλλον δὲ καὶ ἡσυχαίτερα καὶ τοῖς εἴδεσι διηλλαγμένα, ὡς ἂν ἕκασται αἱ μεταβολαὶ τῶν ξυντυχιῶν ἐφιστῶνται* (In ms. quodam legitur *ἕως ἂν*). Plerique hunc locum recte interpretati sunt. Ipse Scholiasta adnotavit: *ὡς ἂν αἱ τύχαι καὶ αἱ μεταβολαὶ πίπτωσι*, et cum Æmilio Porto omnes fere recentiores ita verterunt: „prout singulæ rerum fortunæque mutationes contigerint". Alter locus est IV, 18, 2, *σωφρόνων δὲ ἀνδρῶν οἵτινες ... τὸν τὲ πόλεμον νομίσωσι μὴ καθ' ὅσον ἄν τις αὐτοῦ μέρος βούληται μεταχειρίζειν, τούτῳ ξυνεῖναι, ἀλλ' ὡς ἂν αἱ τύχαι αὐτῶν ἡγήσωνται.* Ii, quorum adnotationes in hunc locum nobis inspicere licuit, quid dixerit Thucydides recte videntur intellexisse. Sed in VIII, 1. 4, *ὅμως δὲ ... ἐδόκει ... ἀρχήν τινα πρεσβυτέρων ἀνδρῶν ἑλέσθαι, οἵτινες περὶ τῶν παρόντων, ὡς ἂν καιρὸς ᾖ, προβουλεύσουσιν*, a Scholiasta, *ἕως ἂν* interpretante, ut *ὡς ἂν* prorsus idem atque *ἕως ἂν* significare crederent, explanatores quidam inducti sunt; quod fieri posse multi alii et ii eruditissimi bonis, ut nobis quidem videtur, rationibus nixi negarunt. Id certe constat, illos neque hoc neque alio loco Thucydideo ad opinionem suam satis firme comprobandam uti posse.[2])

---

[1]) Anmerk. zur Ilias, 2te Aufl., Nürnberg 1850; ad Il. II, 139 (pag. 151).

[2]) Particulam *ὡς* cum *ἂν* ita conjunctam, ut unam notionem ambæ efficere videantur, vim primam ac principalem nonnumquam tenere Thomas Magister jam testificatur. Dicit l. l.: *τὸ δὲ ὡς ἂν*

Particula, quæ est ὡς, cum Optativo quoque, vocabulo ἂν non addito, jungitur ad varietatem occasionum, quibus modus et ratio ipsius rei, de qua agitur, obnoxia sit, significandam. Non certe dicitur, neque quoties neque quo modo res, quæ in sententia primaria enarratur, fiat. Neque quæritur, utrum ea, quæ dicuntur, umquam ad effectum perducantur, necne; omnia enim ad cogitationem et opinionem tantum referuntur.

ποτὲ μὲν τὸ καθά δηλοῖ. Σοφοκλῆς ἐν Αἴαντι (v. 1369): ὡς ἂν ποιήσῃς, πανταχοῦ χρηστὸς ἔσῃ. — Cfr. Hoogeveeni Doctr. Partic. linguæ Gr., ed. Schütz, Lips. 1806, pag. 588. — Apud Devarium Klotzius, l. l. II. pag. 767: „hac particularum (ὡς ἂν) conjunctione ad conditionem revocatur illa comparatio, quam habet ὡς“. — Wexius, ad Sophoclis Antigonam (Lips. 1831), II, pag. 112 sqq., de usu particularum ὡς ἂν uberius disputans, contendit quadruplicem esse harum significationem: primam finalem; alteram utut vel quoquomodo; tertiam in iis locis, ubi ὡς ἂν dictum sit pro ἕως ἂν; quartam conditionalem. Wexius ὡς ἂν pro ἕως ἂν poni posse inprimis ex Soph. Aiacis versu 1117 et Philoct. v. 1330 probare conatur. Sed Reiskius ἕς τ' ἂν correxit, quod Brunckius in utroque loco recepit. Lobeckius (Soph. Aiax, ed. 2da, Lips. 1835, pag. 441) quoque ὡς pro ἕως dici posse negat. Dixit idem in Pathologiæ Græci serm. elementis (Regim. 1853), pag. 64: „Inter ὡς et ἕως aliquid cognationis intercedere, nemo facile negaverit. Sed non ideo assentimur Eustathio 1055, 12, τὸ ἧς ἕης ἔφη ὡς τὸ ὡς ἕως πλεονασμῷ τοῦ ε ἀττικῶς“. Gaylerus in disput. de partic. Græci sermonis negativis (Tubingæ et Lips. 1836), pag. 206, de Thuc. VIII, 1, 4, dicit: „Quare scholium: ἤγουν ἕως ἂν sequentes ὡς pro ἕως accipiant, equidem cum Dukero non video; est: prout, æque ac id. III, 82“. — In IV, 117, 3, ὡς significationem temporalem habet; in VII, 26, 3, a recentioribus ἕως restitutum est. — Ceterum vide Popponis adn. ad VIII, 1, 4. — Quo in loco quamvis verisimile videri possit ὡς pro ἕως dictum esse, multo tamen deteriorem sententiam inde evadere luculentissime apparet. Neque quod verba, ipsa ratione scribendi inter se similia, in nonnullis locis veterum scriptorum a librariis confunduntur, ex eo colligere possumus, ea in consuetudine sermonis promiscue usurpata esse.

Apud Thucydidem Optativus hoc modo usurpatus tempora historica, quæ dicuntur, semper sequitur; quatuor loci huc sunt referendi: V, 56, 4, *μάχη μὲν οὐδεμία ἐγένετο ἐκ παρασκευῆς, ἐνέδραι δὲ καὶ καταδρομαί, ἐν αἷς ὡς τύχοιεν ἑκατέρων τινὲς διεφθείροντο.* VII, 70, 4, ... *αἱ δὲ προσβολαί, ὡς τύχοι ναῦς νηῒ προσπεσοῦσα ..., πυκνότεραι ἦσαν.* Cfr. IV, 4, 1. VI, 69, 1. — Cum Optativo particulæ *ὡς ἂν* copulantur, ubi tantummodo opinio quædam dicentis in sententia relativa conjuncte effertur. Ad formulam igitur *ὡς ἂν μάλιστα* ex verbo enuntiationis primariæ Optativus requiritur, et sic quidem in Thuc. I, 33, 1, ... *ἔπειτα περὶ τῶν μεγίστων κινδυνεύοντας δεξάμενοι ὡς ἂν μάλιστα μετ᾽ ἀειμνήστου μαρτυρίου τὴν χάριν καταθήσεσθε*, ubi *καταθεῖσθε* ad *ὡς ἂν* ex *καταθήσεσθε* supplendum est.[1]) Prorsus eadem locutio invenitur in VI, 57, 3, ... *καὶ εὐθὺς ἀπερισκέπτως προσπεσόντες καὶ ὡς ἂν μάλιστα δι᾽ ὀργῆς* (sc. *περιπέσοιεν*) ... *ἀποκτείνουσιν αὐτόν.* Optativus supplendus est; is enim, qui loquitur, tantummodo opinionem suam neque rem quandam ad effectum vertentem narrat.

Alia est locutio apud Thucydidem frequentissima et sermoni ejus maxime propria, in qua idem verbum, quod legitur in sententia primaria, audiendum est; illam dico: *ὡς ἕκαστοι* et quæ sunt similia. Hic quoque primaria particulæ vis retinetur. Exempla passim reperiuntur. I, 3, 4, *οἱ δ᾽ οὖν ὡς ἕκαστοι Ἕλληνες κατὰ πό-*

---

[1]) In Mss. legitur *καταθῆσθε* (*κατάθησθε*), quo sententia, quæ intelligi non possit, efficitur. Kruegerus aliique *καταθήσεσθε* correxerunt. Alii malunt *καταθεῖσθε* (tunc sensus erit *καταθεῖσθε ἂν ὡς ἂν μάλιστα καταθεῖσθε*) sed certa exempla talis constructionis verborum desiderari ait Boehmius. Non male Goellerus ad h. l.: *ὡς ἂν μάλιστα* sicut formula latina ut qui maxime elliptica locutio est". Vide: Popp. adn. in hunc locum; et Bernhardyum, Wissenschaftl. Syntax d. Gr. Spr. (Berlin 1829), pag. 456.

λεις τε ὅσοι ἀλλήλων ξυνίεσαν καὶ ξύμπαντες ὕστερον κληθέντες, οὐδὲν πρὸ τῶν Τρωικῶν ... ἀθρόοι ἔπραξαν. V, 4, 2 οἱ μὲν ἐπλανήθησαν ὡς ἕκαστοι. Cfr. I, 15, 3. 48, 3. 67, 3. 89, 2. 107, 4. III, 107, 4. IV, 32, 2. V, 57, 2. VI, 17, 3. VIII, 104, 3. Etiam in casibus obliquis, qui dicuntur, similis formula loquendi usurpatur; ut in I, 113, 1, ἐστράτευσαν ἑαυτῶν μὲν χιλίοις ὁπλίταις, τῶν δὲ ξυμμάχων ὡς ἑκάστοις[1]. VI, 76, 3, ... τοὺς μὲν ... τοὺς δὲ ... τοῖς δ᾽ ὡς ἑκάστοις [εἶχον] αἰτίαν εὐπρεπῆ ἐπενεγκόντες κατεστρέψαντο, et 77, 2, ... τοὺς μὲν ... τοὺς δὲ ... τοῖς δὲ ὡς ἑκάστοις τι προσηνὲς λέγοντες δύνανται κακουργεῖν[2]. Cfr. VII, 65, 1. 74, 3. Interdum verba aliter conformantur, adjecto verbo δύνασθαι, ξυμβαίνειν, τυγχάνειν, sim. — In III, 81, 2, Kruegerus suspicatur, verbum ἐδύναντο interpolatum esse. — III, 90, 1, ἐπολέμουν μέν καὶ ἄλλοι, ὡς ἑκάστοις ξυνέβαινεν. Cfr. I, 98, 2. IV, 4, 1. — IV, 25, 1, διά τάχους ἀπέπλευσαν ὡς ἕκαστοι ἔτυχον, et 93, 4, ... ἐτάξαντο, οἱ δὲ ἄλλοι ὡς ἕκαστοι [ἔτυχον]; quibus in locis Kruegerus verbo ἔτυχον se facile carere confitetur. (In II, 21, 3, χρησμολόγοι τε ᾖδον χρησμοὺς παντοίους, ὧν ἀκροᾶσθαι ὡς ἕκαστος ὥργητο, se ex contrario res habet; hic enim verbum sententiæ primariæ intelligendum est, nisi quis forte cum mss. quibusdam ὡς omittendum censeat.) Eadem consecutione verborum usus Thucydides semel dixit ὡς ἑκάτεροι; quod legitur in III, 74, 3, καὶ οἱ μὲν παυσάμενοι τῆς μάχης ὡς ἑκάτεροι ἡσυχάσαντες τὴν νύκτα ἐν φυλακῇ ἦσαν.

---

[1]) Betantius perperam dicit hæc verba in I, 107, legi.

[2]) Propter ipsam vicinitatem vox illa ὡς ἑκάστοις in ea, quæ proxime antecedunt, eam vim habet, ut pro τοὺς δὲ legatur τοῖς δὲ. Cfr. Goelleri et Krueg. adn. in h. l. — Kruegeri Dionys. Halic. Historiograph. (Halis Saxon. 1823), pag. 119: „Solenni enim more Græci, ubi participium cum verbo finito diversi regiminis conjungitur, eo casu utuntur, quem prius postulat".

Ad vim superlativorum augendam et cumulandam maxime valent enuntiationes comparativæ ab ὡς incipientes, et ita quidem ut vis illa, quam vox superlativa simpliciter indicat, accuratius definiatur et clarior fiat legentibus[1]). In ejusmodi enuntiatis verbum δύνασθαι a Thucydide usurpatur: IV, 128, 1, ... χωρήσαντας πρὸς αὐτὸν δρόμῳ, ὡς τάχιστα ἕκαστος δύναται, ... VII, 21, 1, ἔφη χρῆναι πληροῦν ναῦς ὡς δύνανται πλείστας. 69. 4, ... παρέταξεν ὡς ἐπὶ πλεῖστον ἐδύνατο. Cfr. V, 40, 3. VI, 88, 2. VII, 50, 3. Semel οἷός τε εἶναι pro δύνασθαι legitur in II, 83, 4, ἐτάξαντο κύκλον τῶν νεῶν ὡς μέγιστον οἷοί τ' ἦσαν. Sed plerumque verbum omittitur, et efficitur locutio, quæ tantummodo per ellipsin explicari possit.[2]). Exempla usquequaque reperiuntur: I, 129, 2, ... ἐπιστολὴν ἀντεπετίθει αὐτῷ ὡς τάχιστα διαπέμψαι καὶ ... πράσσειν ὡς ἄριστα καὶ πιστότατα. 141, 6. οἱ μὲν ὡς μάλιστα τιμωρήσασθαί τινα βούλονται, οἱ δὲ ὡς ἥκιστα τὰ οἰκεῖα φθεῖραι. Cfr. I, 65, 1. 90, 3. 91, 2. 131, 2. 133, 1. II, 80, 2. 95, 3. IV, 15, 2. 46, 3. 63, 2. 122, 3. V, 6, 2. 9, 5. 10, 5. 43, 3. 71, 1. VI, 14, 1. 22, 3. 49, 1. 72, 3. 84, 2. 88, 4. 88, 7. VII, 8, 1. 33, 6. 43, 7. 51, 1. 60, 4. 80, 1. 81, 3. VIII, 7, 2. 22, 1. 26, 3. 27, 4. 46, 4. 51, 1. 56, 2. 81, 2. 88, 1. Præpositiones inter ὡς et superlativum interponuntur. Pro exemplo afferimus I, 82, 4, ἧς φείδεσθαι χρὴ ὡς ἐπὶ πλεῖστον. Cfr. I, 63, 1. II, 34, 4. 35, 3. IV, 14. 3. 62, 3. V, 46, 2. VII, 61, 1. Cfr. locum VII, 69, 4, quem supra laudavimus.

Pro ellipsi ea quoque consuetudo loquendi accipienda

---

[1]) Vide: Bernhardyum, l. l. pag. 434.

[2]) Et hanc et alias similes locutiones, in quibus ὡς legitur, pro enuntiatis comparativis, quæ tamen verbo omisso decurtatæ et in angustum coactæ sunt, habendas esse nemo facile infitiabitur. Neque hoc loco nobis licet, ut Thomæ Magistro (l. l.), τὸ ὡς ἀντὶ τοῦ λίαν simpliciter dictum putare.

est apud Thucydidem haud inusitata, qua cum substantivo aut adjectivo vel sæpius cum vocabulo, a præpositione quadam pendente, particula *ὡς* jungitur ad vim sententiæ primariæ restringendam et tamquam terminis hujus formulæ circumscribendam. Verbum quoddam, ut *οἷός τε εἶναι* vel tale aliud intelligendum est; interdum enim integra locutio legitur, ut in VII, 60, 3, *τἆλλα ὡς οἷόν τ' ἦν ἐξ ἀναγκαίου τε καὶ τοιαύτης διανοίας ἐπορίσαντο*, ubi æque bene dici potest *ὡς ἐξ ἀναγκαίου κτέ.* Latine *ὡς* illud variis modis verti potest: u t, p r o, u t f i e r i p o t u i t, u t s p e r a n d u m e r a t, q u a n t u m l i c u i t, simil. — Exempla apud Thucydidem reperiuntur in IV, 84, 2, *ἦν δὲ οὐδὲ ἀδύνατος, ὡς Λακεδαιμόνιος, εἰπεῖν.* I, 21, 2, ... *εὑρῆσθαι δὲ ἡγησάμενος ἐκ τῶν ἐπιφανεστάτων σημείων, ὡς παλαιὰ εἶναι, ἀποχρώντως* (quoad pervestigari vetera possint[1]). IV, 108, 5, *οἱ Ἀθηναῖοι φυλακάς, ὡς ἐξ ὀλίγου καὶ ἐν χειμῶνι, διέπεμπον.* V, 43, 1, ... *ἀνὴρ ... ὢν ἔτι τότε νέος ὡς ἐν ἄλλῃ πόλει.* 49, 3, ... *ἡσυχαζόντων σφῶν καὶ οὐ προσδεχομένων, ὡς ἐν σπονδαῖς.* I, 10, 7, *ὡς ἀπὸ πάσης τῆς Ἑλλάδος.* II, 3, 3, *ὡς ἐκ τῶν δυνατῶν.* 65, 7, *ὡς ἐν μεγάλῃ πόλει.* III, 113, 4, *ὡς πρὸς τὸ μέγεθος τῆς πόλεως.* IV, 14, 1, *ὡς διὰ βραχέος.* 17, 1, *ὡς ἐκ τῶν παρόντων.* 96, 1. *ὡς διὰ ταχέων.* 125, 3, *ὡς διὰ ταχέων.* VI, 20, 1, *ὡς ἐν μιᾷ νήσῳ.* 54, 3, *ὡς ἀπὸ τῆς ὑπαρχούσης ἀξιώσεως.* 70, 4, *ὡς ἐκ τῶν παρόντων.* VII, 30, 3, *ὡς ἐπὶ μεγέθει.* 42, 3, *ὡς ἐκ κακῶν.* 74, 1, *ὡς ἐκ τῶν δυνατῶν.* 76, 1, et VIII, 1, 4, *ὡς ἐκ τῶν ὑπαρχόντων.*

---

[1]) P o p p o ostendit, Scholiastam *εἶναι* pro *ὄντα* hic perperam sumsisse. Illud *εἶναι* pleonasmi caussa additum esse cum K r u e g e r o et L o b e c k i o (in Phrynichi Ecl. nom. Att., Lips. 1820, pag. 275) statuendum est, nisi cum P o p p o n e *ὡς παλαιὰ εἶναι* pro *ὡς παλαιὰ ἔνι ἐπιφανῆ εἶναι* putare malueris. Utut hæc res est, in eo omnes consentiunt, quod particulam *ὡς* h. l. restringendi vim habere censent.

Significatio particulæ ὡς primaria nonnullis in locis ad aliam, qua magnitudo vel numerus vel gradus demonstratur, transit; quare particulæ illi Genitivus subjungitur eadem ratione qua adverbia quantitatis, quæ dicuntur, cum eo jungi solent. Cujus significationis vestigia jam apud Homerum inveniuntur, ut in Odyss. ρ, 344, καὶ κρέας, ὥς οἱ χεῖρες ἐχάνδανον ἀμφιβαλόντι, ad quem locum Schol. recte adnotavit τὸ ὡς positum esse ἀντὶ τοῦ ἴσον. In Thuc. IV, 55, 1, particulam ὡς proxime ad vocabulum πλῆθος, quod antecedit, referendam esse videmus. Quod nobis ostendere potest, quam facile alia significatio in aliam traducatur et convertatur. Omnibus in locis, huc referendis, verbum ἔχειν legitur, et quater formula illa dicendi ὡς εἶχε τάχους usurpatur: II, 90, 3. VI, 97, 3. VII, 2, 1. VIII, 102, 1. — Cfr. I, 22, 2, ἐπιπόνως δὲ εὑρίσκετο, διότι οἱ παρόντες ... οὐ ταὐτὰ ἔλεγον, ἀλλ' ὡς ἑκατέρων τις εὐνοίας ἢ μνήμης ἔχοι. VII, 57, 1, ... ἐπολέμησαν, οὐ κατὰ δίκην ... οὐδὲ κατὰ ξυγγένειαν μετ' ἀλλήλων στάντες, ἀλλ' ὡς ἕκαστος τῆς ξυντυχίας ἢ κατὰ τὸ ξυμφέρον ἢ ἀνάγκῃ ἔσχεν [1]).

Etiam ad ea vocabula, quæ apposita aut prædicata a grammaticis vocantur, particulam ὡς sæpe positam esse

---

[1]) Magna est h. l. scripturæ discrepantia; legitur enim ἑκάστοις vel ἕκαστοι pro ἕκαστος, pro ἀνάγκῃ scriptum invenitur ἀνάγκη, ἀνάγκης, ἀνάγκην, et ἔσχον pro ἔσχεν. Vulgo ὡς ἑκάστοις ... ἢ ἀνάγκης ἔσχον. Recte Schol. interpretatus esse nobis videtur: ὡς ἑκάστοις, φησὶ, συνέτυχεν ἢ διὰ τὸ ἴδιον συμφέρον ἢ ἐξ ἀνάγκης στρατεύεσθαι, quæ tamen sententia quomodo e lectione vulgata elici possit non satis apparet. Hunc locum librariorum manibus haud dubie depravatum Kruegerus in Dion. Halic. Historiogr. pag. 122 recte ita emendavit, ut legatur: ὡς ἕκαστός τις ξυντυχίας ... ἔσχεν (ἔσχεν præbent codd. nonnulli; ἕκαστος in marg. unius ms.); nam articuli usus in ejusmodi formulis sane offendit. Sed mirandum est, Kruegerum eam mutationem verborum, quam callide conjecit, in editione sua non fecisse.

invenimus; quibus in locis particula illa eam vim habet, ut aut aliquid cum aliqua re comparari vel exæquari significet, aut opinionem et sententiam loquentis denotet; non dicitur qualis ipsa res per se sit, sed qualem eam esse arbitretur is, quem loquentem inducit scriptor. Æqualitas eorum, quæ inter se conferuntur, aut vera aut tantummodo opinata esse potest. Hoc modo particula ὡς cum substantivis vel adjectivis conjungitur, participio verbi εἶναι non subjecto[1]); cujus rei multa sunt exempla apud Thucydidem: I, 26, 3, προεῖπον ... τούς ξένους ἀπαθεῖς ἀπιέναι, εἰ δὲ μή, ὡς πολεμίοις χρήσεσθαι. III, 32, 2, ὁρῶντες τὰς ναῦς ... οὐκ ἔφευγον ἀλλὰ προσεχώρουν μᾶλλον ὡς Ἀττικαῖς. V, 11, 1, ... ὡς ἥρωΐ τε ἐντέμνουσι ... καὶ τὴν ἀποικίαν ὡς οἰκιστῇ προσέθεσαν. VIII, 95, 3, ὅσοι μὲν αὐτῶν πρὸς τὴν πόλιν τῶν Ἐρετριέων ὡς φιλίαν καταφεύγουσι χαλεπώτατα ἔπραξαν. Cfr. I, 25, 1. 53, 2. II, 63, 2. 67, 5. III, 38, 3. 46, 1. 54, 1. 65, 1. IV, 67, 3. 67, 5. VI, 40, 3. 46, 3. 86, 3. VIII, 21, 2. 98, 3. Si cum vocabulo quodam, præpositioni adjuncto, aliud confertur, et verba illa, quibus comparatio instituitur, antecedunt, præpositio his tantummodo subjungitur[2]), ut in I, 84, 4, ἀεὶ δὲ ὡς πρὸς εὖ βουλευομένους τοὺς ἐναντίους ἔργῳ παρασκευαζόμεθα. I, 91, 3, εἶπεν ... ὡς πρὸς διαγιγνώσκοντας τὸ λοιπὸν ἰέναι ... (intelligendum est πρὸς σφᾶς). IV, 41, 2, καὶ οἱ ... ὡς ἐς πατρίδα ταύτην ... πέμψαντες. VI, 50, 4, ... τοὺς οὖν ... ὡς παρὰ φίλους καὶ εὐεργέτας Ἀθηναίους ἀδεῶς ἀπιέναι. In I, 85, 2, ἐπὶ δὲ τὸν διδόντα ... ὡς ἐπ᾽ ἀδικοῦντα ἰέναι, præpositio iteratur.

---

[1]) Locos, in quibus participium verbi εἶναι substantivo vel adjectivo cuidam additum est, infra enumerabimus, ubi de aliis participiis loquemur.

[2]) Cfr. Kruegeri „Griech. Sprachlehre" (Berlin 1848), 1. 68. 8., et Matthiæi Gr. Gr. § 595.

Prorsus eodem modo particula, quæ est ὡς, participiis subjungitur; quo fit, ut comparatio, quæ instituitur, non ad rei alicujus veritatem revocetur, sed tantummodo animo et cogitationi cujusdam subjiciatur, vel caussa et ratio alicujus rei quasi ex judicio vel opinione cujusdam pendere indicetur. Reddi potest tamquam, quasi, quippe, utpote, quia, simil. Exempla quam plurima apud Thucydidem leguntur. I, 105, 5, ἀνθίστασαν τροπαῖον καὶ αὐτοὶ ὡς νικήσαντες. V, 113, 1, ... τὰ δὲ ἀφανῆ τῷ βούλεσθαι ὡς γιγνόμενα ἤδη θεᾶσθε. VI, 88, 8, ... μὴ περιορᾶν τὰ γιγνόμενα ὑπὸ τῶν Ἀθηναίων, ὡς καὶ ἐκείνοις ὁμοίως ἐπιβουλευόμενα. In VII, 5, 3, οὕτως antecedit: καὶ διανοεῖσθαι οὕτως ἐκέλευεν αὐτοὺς ὡς τῇ μὲν παρασκευῇ οὐκ ἔλασσον ἕξοντας, τῇ δὲ γνώμῃ οὐκ ἀνεκτὸν ἐσόμενον εἰ μὴ ἀξιώσουσιν ...[1]). Cum participio aoristi particulæ ὡς ἂν conjunctæ sunt in III, 37, 4, ... ὡς ἐν ἄλλοις μείζοσιν οὐκ ἂν δηλώσαντες τὴν γνώμην, et in VI, 24, 2. ἔρως ἐνέπεσε ... ἐκπλεῦσαι· τοῖς ... πρεσβυτέροις ὡς ἢ καταστρεψομένοις ἐφ᾽ ἃ ἔπλεον ἢ οὐδὲν ἂν σφαλεῖσαν μεγάλην δύναμιν (acc. absol.); cum genit. absol. in I, 90, 2. — Cfr.: I, 8, 2. 20, 3. 24, 4. 54, 2. 68, 3. 69, 2. 74, 4. 120, 2. 138, 7. 140, 6. II, 11, 6. 59, 1. 72, 3. 91, 2. 92, 3. III, 18, 1. 26, 3. 30, 1. 48, 1. 50, 1. 55, 1. 72, 1. 79, 1. IV, 17, 2. 19, 3. 25, 7. 38, 1. 68, 6. 74, 1. 80, 3. 90, 4. 114, 1. 114, 4. 121, 1. 130, 4. V, 10, 2. 31, 4. 49, 3. 52, 1. 58, 2. 65, 3. 75, 3. VI, 10, 3. 13, 2. 15, 3. 32, 3. 40, 2. 53, 1. 55, 4. 80, 1. 87, 3. 103, 4. VII, 34, 6. 34, 7. 40, 2. 43, 7. 46, 1. 48, 4. 67, 4. 73, 4. VIII, 24, 1. 38, 3. 39, 3. 46, 5. 50, 1. 51, 2. 56, 3. 63, 3. 64, 2. 65, 2. 73, 1. 86, 7. 87, 1. 89, 4. — Sæpissime cum participio futuri particula ὡς jungitur; ut in VI, 34, 7,

---

[1]) Cfr. Matthiæum, l. l., § 569.

ἐπέρχονται γὰρ ἡμῖν ὡς οὐκ ἀμυνουμένοις. IV, 77, 1, *τὸν δὲ ... προαπέστειλε ..., ὅπως ... πλέοι ἐπὶ τὰς Σίφας ὡς προδοθησομένας.* VI, 17, 1, *καὶ τὸν ἐς τὴν Σικελίαν πλοῦν μὴ μεταγιγνώσκετε ὡς ἐπὶ μεγάλην δύναμιν ἐσόμενον.* — Verba, quæ vim permovendi aut efficiendi habent, participium futuri, cum *ὡς* conjunctum, ad consilium significandum sæpenumero sequitur. Quæ verba apud Thucydidem hæc sunt: *παρασκευάζειν, παρασκευάζεσθαι*[1]), *ἑτοιμάζειν. τάσσεσθαι, προσέχειν τὴν γνώμην, στρατεύειν, ἰέναι, ἐλθεῖν, ἥκειν, πλεῖν, τὰς ναῦς πληροῦν*, et quæ sunt similia. IV, 127, 2, *καὶ προσιόντος αὐτοῦ ἐς αὐτὸ ἤδη τὸ ἄπορον τῆς ὁδοῦ κυκλοῦνται ὡς ἀποληψόμενοι.* V, 39, 2, ... *βουλόμενοι δὲ τὸ Πάνακτον παραλαβεῖν ὡς τὴν Πύλον ἀντ' αὐτοῦ κομιούμενοι* ... Adnotandus est locus VI, 69, 1, *οἱ δὲ Συρακόσιοι ἀπροσδόκητοι μὲν ἐν τῷ καιρῷ τούτῳ ἦσαν ὡς ἤδη μαχούμενοι* ... Reliqua exempla habes in I, 26, 3. 63, 2. 84, 4. 95, 2. 100, 3. II, 7, 1. 10, 1. III, 15, 1. 27, 1. 33, 1. 89, 1. 107, 2. 115, 2. 115, 3. IV, 5, 1. 8, 3. 9, 4. 13, 3. 30, 3. 35, 2. 77, 2. 80, 2. 97, 1. 114, 5. V, 7, 2. 43, 3. 53, 2. 54, 2. 56, 5. 62, 2. 65, 7. VI, 30, 1. 30, 2. 31, 3. 53, 1. 63, 1. 65, 4. 71, 2. 74, 1. 88, 7. VII, 2, 3. 7, 3. 17, 1. 18, 5. 41, 2. 50, 2. 60, 1. 61, 2. 72, 2. 74, 2. VIII, 3, 3. 17, 1. 100, 2. 100, 5. — Etiam accusativis absolutis[2]), qui dicuntur, subjungitur particula illa: I, 2, 3, *παρ' Ἀθηναίους οἱ δυνατώτατοι ὡς βέβαιον ὂν ἀνεχώρουν* (Schol. *ὡς βεβαίας οὔσης τῆς οἰκήσεως*). 134, 4, *ὁ δὲ θεὸς ... ἔχρησε ... ὡς ἄγος αὐτοῖς ὂν τὸ πεπραγμένον δύο σώματα* ...

---

[1]) Post *παρασκευάζεσθαι* interdum legitur partic. fut., omissa particula *ὡς*, ut in II, 18, 1. 91, 1. V, 8, 2. VI, 54, 4. VII, 17, 2. VIII, 59, 1. Nulla enim loquentis interposita opinione in his locis rem ipsam vere et quasi directo efficiendam indicat scriptor.

[2]) De hac re vide Bernhardyum, l. l. pag. 134.

ἀποδοῦναι. IV, 5, 1, ἐν ὀλιγωρίᾳ ἐποιοῦντο, ὡς ὅταν ἐξέλθωσιν ἢ οὐχ ὑπομενοῦντας σφᾶς ἢ κτέ. VII, 31, 3, πέμπειν οὖν ἐκέλευεν αὐτοὺς ναῦς, ὡς οὐχ ἱκανὰς οὔσας δυοῖν δεούσας εἴκοσι τὰς ἑαυτῶν πρὸς τὰς ἐκείνων ... ναυμαχεῖν. VIII, 66, 4, ἀλλήλοις ... ὑπόπτως προσῄεσαν ..., ὡς μετέχοντά τινα τῶν γιγνομένων. Cfr. locos VI, 24, 2, et VII, 5, 3, quos supra laudavimus. — Particula ὡς etiam conjungitur cum accusativis absolutis (neutrius generis) participii verborum, quæ impersonalia dicuntur; I, 28, 1, ἐκέλευον Κορινθίους ... ἀπάγειν, ὡς οὐ μετὸν αὐτοῖς Ἐπιδάμνου. I, 77, 2, ἐκείνως δ' οὐδ' ἂν αὐτοὶ ἀντέλεγον ὡς οὐ χρεὼν τὸν ἥσσω τῷ κρατοῦντι ὑποχωρεῖν.[1]) II, 89, 2, ... προσέρχονται, ὡς προσῆκον σφίσιν ἀνδρείοις εἶναι.[2]) VII, 73, 1, ἐσηγεῖται ... ὡς οὐ χρεὼν ἀποχωρῆσαι τῆς νυκτὸς αὐτοὺς περιιδεῖν. — Quum particula antecedit, adjectiva neutrius generis eodem modo ponuntur, quo participia absolute poni dicuntur, et quidem ita, ut participium ὂν non subsequatur; cujus rei unum exemplum est in II, 35, 1, ἐπαινοῦσι τὸν προσθέντα τῷ νόμῳ τὸν λόγον τόνδε, ὡς καλὸν ἐπὶ τοῖς ἐκ τῶν πολέμων θαπτομένοις ἀγορεύεσθαι αὐτόν. — Genitivi absoluti longe sæpius cum ὡς junguntur: I, 5, 2, ... ἐρωτῶντες εἰ λῃσταί εἰσιν, ὡς οὔτε ὧν πυνθάνονται ἀπαξιούντων τὸ ἔργον, οἷς τ' ἐπιμελὲς εἴη εἰδέναι οὐκ ὀνειδιζόντων. VI, 33, 3, ὡς οὖν ἐν τάχει παρεσομένων, ὁρᾶτε ... V, 4, 4 ... πείσαντες τοὺς ἄλλους, ... ὡς Συρακοσίων δύναμιν περιποιουμένων, ἐπιστρατεῦσαι. In VII, 15, 1, formula illa οὕτω τὴν γνώμην ἔχειν sequitur genitivos absolutos, particulæ ὡς sub-

---

[1]) Quod Boehmius ad h. l. et ad I, 28, de particulis negativis, in tali consecutione verborum usurpatis, adnotavit, nobis ad veritatem dictum videtur.

[2]) Nescio qua ratione ductus Kruegerus locum IV, 95, 1, huc referre voluerit.

jectos: *καὶ ὡς ... τῶν στρατιωτῶν καὶ τῶν ἡγεμόνων ὑμῖν μὴ μεμπτῶν γεγενημένων, οὕτω τὴν γνώμην ἔχετε.*[1]). Cfr. I, 2, 3. 73, 3. 84, 4. 90, 2. 135, 1. II, 7, 2. 85, 3. 102, 4. III, 4, 3. 52, 2. 75, 3. IV, 8, 2. 14, 4. 72, 1. 74, 1. 123, 4. V, 31, 4. 43, 3. VI, 94, 3. VII, 7, 3. 15, 1. 15, 2. 25. 7. 51, 1. 73, 4. 77, 7. VIII, 6, 4. 94, 3.

Neque alia est vis et usus hujus particulæ, ubi ad voces præpositioni cuidam subjunctas ponitur. His quoque in locis particula *ὡς* speciem comparationis et collationis præ se fert; quæ tamen species utrum vera an falsa sit, in medio relinquitur; tantummodo enim de iis, quæ cogitata vel opinata sunt, res agitur. Omnibus in ejusmodi locis participium, e verbo vicino sæpissime sumendum, ad sententiam integram reddendam intelligi potest, ut in I, 78, 1, *βουλεύεσθε οὖν βραδέως ὡς οὐ περὶ βραχέων*, ubi *βουλευόμενοι* audiendum est. Eodem modo in VI, 16, 5, *οἶδα δὲ τοὺς τοιούτους ... καταλιπόντας ... ταύτῃ αὔχησιν ὡς οὐ περὶ ἀλλοτρίων οὐδ᾽ ἁμαρτόντων, ἀλλ᾽ ὡς περὶ σφετέρων τε καὶ καλὰ πραξάντων*, ex *αὔχησιν* supplendum est *αὐχουμένῃ*. Ad VI, 17, 2, *οὐδεὶς δι᾽ αὐτὸ ὡς περὶ οἰκείας πατρίδος οὔτε ... ὅπλοις ἐξήρτυται*, recte monuit Kruegerus, participium *ἀγωνιούμενοι* intelligendum esse. IV, 34, 1, ... *ὥσπερ ὅτε πρῶτον ἀπέβαινον ... ὡς ἐπὶ Λακεδαιμονίους* (sc. *ἀποβαίνοντες*; et certe quidem contra Lacedæmonios iverunt). VIII, 25, 3, ... *ὡς ἐπ᾽ Ἴωνάς τε καὶ οὐ δεξομένους* ... IV, 121, 2, *ἡγούμενος καὶ τοὺς Ἀθηναίους βοηθῆσαι ἂν ὡς ἐς νῆσον* (Pellene non erat insula; quum tamen ab Atheniensibus Potidæam tenentibus esset intercepta, pro insula habebatur). VIII, 108, 3, *ὡς ἐπὶ φιλίᾳ καὶ ξυμμαχίᾳ* (per amicitiæ ac societatis speciem). IV,

---

[1]) Quomodo orta sit hæc constructio, Lobeckius ad Soph. Ai. v. 281 declarat. Cfr. Matthiæi Gr. gr. § 569, et locum supra laudatum VII, 5, 3.

98, 3, *νῦν δ' ἐν ᾧ μέρει εἰσίν, ἑκόντες εἶναι ὡς ἐκ σφετέρου οὐκ ἀπιέναι* (utpote ex suo agro). IV, 46, 3, *ὡς κατ' εὔνοιαν δή.* VI, 54, 4, *ὡς οὐ διὰ τοῦτο δὴ* (Cfr. Popponis Bet. Lex Suppl. II, pag. 18). Cfr. I, 134, 4, *ὡς ἀντὶ Παυσανίου.* IV, 15, 1, et VI, 31, 1, *ὡς ἐπ' ἀξιόχρεων.* VI, 34, 8, *ὡς ἐπὶ κινδύνου.* Particulæ *ὡς ἐπὶ* cum dativo conjunctæ aut caussam alicujus rei opinatam indicant, ut in IV, 15, 1, *ὡς ἐπὶ ξυμφορᾷ μεγάλῃ,* aut finem, quo quis spectat, ut in I, 126, 3, *ὡς ἐπὶ τυραννίδι*; II, 95, 3, *ὡς ἐπὶ βασιλείᾳ.* Cfr. VI, 45, 1. 45, 2. 76, 3. VII, 46, 1. 68, 1. — Quod ubi de motu in locum quendam cogitatur, particulæ *ὡς ἐπὶ, ὡς ἐς, ὡς πρὸς,* accusativo subjunguntur: V, 3, 4, *ὡς ἐπὶ τὴν Ἀμφίπολιν.* VI, 61, 5, *ὡς ἐς τὰς Ἀθήνας.* Cfr. VIII, 5, 1. 79, 1. Simili conformatione verborum Thucydides utitur in VIII, 87, 5, *ὡς ἐπὶ τὰς ναῦς ἔπεμψαν*; hoc loco non solum de consilio quodam ad effectum adducendo sed etiam de motu, de itinere quodam cogitare oportet. Ad verba, quæ vim proficiscendi habent, ut *ἀνάγεσθαι, πλεῖν, περαιοῦσθαι,* aut consilium simpliciter indicant, ut *παρασκευάζεσθαι, ἐξαρτύεσθαι, τάσσεσθαι,* similia, particulæ *ὡς ἐς, ὡς ἐπὶ,* cum accusativo hoc modo sæpissime usurpantur. Exempla leguntur in I, 50, 5, *ὡς ἐς ἐπίπλουν.* IV, 38, 3, *ὡς ἐς πλοῦν.* V, 17, 2, *ὡς ἐπὶ τειχισμὸν* (alii: *ὡς ἐς ἐπιτειχισμόν*). Frequentissima formula *ὡς ἐς μάχην* legitur in I, 62, 3. II, 20, 1. III, 107, 3. IV, 93, 1. 130, 2. V, 65, 1. VI, 67, 1. VII, 2, 3. 3, 2. Eodem modo usurpatum est *ὡς ἐπὶ ναυμαχίαν* in I, 48, 1. II, 83, 2. 85, 2. 86, 1. IV, 13, 3. Et quum notio quædam motus etiam in III, 4, 1, VI, 34, 5, VII, 34, 1, inesse videatur, valde suspicor his locis corrigendum esse *ὡς ἐπὶ ναυμαχίαν,* quod in quibusdam quoque mss. legitur; nam satis apparet de iis, qui ut ipsi pugnam capesserent in locum quendam se contulerunt, scriptorem hic mentionem fecisse.

Vocibus, quæ notionem quandam numeri in se habent, sæpe additur particula, quæ est ὡς, et eandem fere vim ac significationem, de qua novissime scripsimus, etiam in his locis retinet. Nam exacto numero non affirmatur, de quot res agatur; is tantummodo numerus editur, quem verum esse opinatur is qui loquitur. Huc referendus est locus VI, 25, 3, τὴν δὲ ἄλλην παρασκευὴν ὡς κατὰ λόγον ... ἑτοιμασάμενοι ἄξειν (pro numero fere, pro magnitudine fere exercitus). Eadem vis particulæ ὡς in formula illa ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ tribuenda est; reddi potest ut plerumque fere. I, 12, 1, στάσεις ἐν ταῖς πόλεσιν ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ἐγίγνοντο. II, 13, 3, προσιόντων ... ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ κτέ. Cfr. V, 107, et VI, 46, 3. Eodem modo comparativa usurpantur: III, 37, 3, οἱ φαυλότεροι τῶν ἀνθρώπων πρὸς τοὺς ξυνετωτέρους ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖον ἄμεινον οἰκοῦσι τὰς πόλεις. III, 83, 3, οἱ φαυλότεροι γνώμην ὡς τὰ πλείω περιεγίγνοντο. Ad numeralia, quæ cardinalia vocantur, particula ὡς sæpissime ponitur, ut in VIII, 100, 3, ... ὁπλίτας ὡς πεντήκοντα ... ξύμπασιν ὡς τριακοσίοις. Cfr. III, 81, 2. 103, 2. IV, 9, 2. 31, 2. 74, 4. 93, 2. 113, 1. V, 115, 1. VI, 67, 3. 71, 1. 97, 3. 98, 1. VII, 34, 7. 72, 2. 78, 2. 78, 3. VIII, 5, 1. — Præpositiones inter particulam ὡς et numerale interponuntur: VI, 8, 1, ὡς ἐς ἑξήκοντα ναῦς. Cfr. VII, 36, 2, ubi plerique malunt ὡς ἐπὶ ἓξ πήχεις. — Etiam iis, quæ ordinalia dicuntur, ὡς additur: V, 55, 3, ὡς τὸ τρίτον μέρος. Prorsus eodem modo particula comparativa, quæ est quasi, apud Latinos interdum usurpatur. Cicero dixit: „quasi decem fisci", et Plautus in Capt. prol. v. 20: „quasi una ætas erat."

Eandem vim habet particula ὡς, cum infinitivo, qui absolute positus esse dicitur, conjuncta, ut in formula illa ὡς εἰπεῖν et quæ sunt similia. Quam consecutionem verborum variis modis grammatici explanaverunt. Multi particulam ὡς his locis vim finalem, quæ vocatur, habere

censent; alii vero, ut Kuehnerus,[1]) talem enuntiationem consecutivam esse existimantes, sententiam primariam quandam, ex qua hæc pendeat, intelligendam esse credunt. Alii, ut Kruegerus, Thierschius, rem ipsam declarant, sed nomen enuntiationi non imponunt. Nobis autem persuasum est, in ejusmodi formulis particulæ ὡς neque vim finalem neque consecutivam, sed comparativam tribuendam esse, et hos locos proxime ad eum modum, quem de particula cum numeralibus conjuncta proposuimus, interpretandos esse. Bene de hac re Hoogeveenus (l. l. pag. 580) dixit: „Ad sensum εἰκαστικὸν potius, quam ad usum causalem refero, quando cum infinitivo εἰπεῖν construitur (particula ὡς). Dixerunt ὡς εἰπεῖν, quum vero nomine videbantur non posse rem exprimere, tum vero proximum, vel quod veri aliquam similitudinem referebat, adhibuere, addito illo ὡς εἰπεῖν.“ Recte etiam Kruegerus rem explicavit in Adn. in Dion. Halic. pag. 286: „ὡς εἰπεῖν cave cum Porto vertas: ut ita loquar; est enim: prope (quasi) dixerim, eandemque potestatem habet dictio ab Thucydide et Xenophonte non usurpata ὡς ἔπος εἰπεῖν.“[2])

---

[1]) Vide: Ausf. Gr. II, § 826. — Cfr. Matthiæi Gr. gr. § 545. Klotzius ad Devar. II, 765: "Neque enim finalem significationem habet ὡς in illis formulis sed potius consecutionem indicat . . . Etenim in his locis non tam quasi antecedens ipsi sententiæ ista formula ponitur, sed sic adjicitur formula, quasi sententia posita hoc nunc jam consequatur, hæc summatim dicta esse."

[2]) Cfr. Kruegeri Gr. gr. I, 55, 1. — Fortasse ab eo, quod ὡς εἰπεῖν a multis reddi solet: ut ita dicam, nonnulli perducti sunt in eam sententiam, quam Kuehnerus aliique profitentur. Utut res est, nemo facile negabit in particula ὡς, hoc modo usurpata, aliquid conjecturæ et opinionis inesse. Quare etiam ὡς εἰπεῖν contrarium est ἀκριβεῖ λόγῳ. Valde igitur miramur, quod Kruegerus in VI, 82, 3, correxit ὡς τὸ ἀκριβὲς εἰπεῖν; nam quomodo eadem res summa cum accuratione et simul proxime ad eam dici possit, non intelligimus. Omnes codd. habent ἐς,

Locutio illa *ὡς εἰπεῖν* legitur in I, 1, 2. II, 51, 1. III, 38, 5. 39, 4. 82, 1. IV, 14, 3. VI, 30, 2. 72, 2. VII, 58, 5. 67, 2. VIII, 5, 3. 96, 3. Huc etiam referendum est IV, 36, 3, *ὡς μικρὸν μεγάλῳ εἰκάσαι* (propemodum parva magnis contulerim).

Particula *ὡς* interdum cum verbo finito conjungitur prorsus eadem vi ac significatione, quam habet ea, quæ participiis subjecta est. Reddi potest: q u a s i, t a m q u a m s i, simil. Quibus in locis aut indicativus aut optativus usurpatur. Indicativus legitur in: I, 120, 1, *τοὺς μὲν ... οὐκ ἂν ἔτι αἰτιασαίμεθα ὡς οὐ καὶ αὐτοὶ ἐψηφισμένοι τὸν πόλεμόν εἰσι* (quasi non et ipsi bellum decreverint). 127, 2, *διαβολὴν οἴσειν αὐτῷ ... ὡς καὶ διὰ τὴν ἐκείνου ξυμφορὰν τὸ μέρος ἔσται ὁ πόλεμος* (quasi ob illius labem ex parte hoc bellum esset futurum). Cfr. III, 64, 2 et VII, 48, 6, *καὶ μὴ χρήμασιν, ὡς πολὺ κρείσσους εἰσί* (alii: *ᾧ*, alii: *ὤν*), *νικηθέντας ἀπιέναι* (neque, quasi illi [Syracusani] pecunia longe superiores essent, victos abire; alii ad *εἰσί* intelligunt *οἱ Ἀθηναῖοι* et particulam *ὡς* h. l. vim causalem habere credunt). Optativus legitur in IV, 65, 3. V, 16, 4. VIII, 2. 1.

Significatio, qua usurpatur particula *ὡς* in his proximis exemplis non longe est diversa ab ea, quam habet in enuntiatis objecti, ut dicuntur, ubi ita ponitur, ut fere vis ac potestas particulæ *ὅτι* ei tribuenda sit[1]). Ejusmodi enuntiationes prorsus objecti locum tenent quum verbis transitivis subjiciuntur. Verba quibus apud Thucydidem enuntiatio ab *ὡς* incipiens pro objecto additur, hæc fere sunt: *λέγειν, ἀποφαίνειν, δηλοῦν, διδάσκειν, ἀγγέλλειν,*

---

quæ præpositio arctissime cohæret cum *τὸ ἀκριβὲς* (est *ἐς τὸ ἀκριβὲς* idem atque *ἐς ἀκρίβειαν* vel *ἀκριβῶς*) neque ad *εἰπεῖν* proxime est referenda. (Cfr. M a t t h. gr. gr. § 578. f.)

[1]) Nos quoque dicimus h u r u, h u r u l e d e s pro a t t in quibusdam formulis.

παραινεῖν, *διαθροεῖν*, *βοᾶν* (*διαβοᾶν*), *εἰπεῖν*, *καλλιεπεῖν*, *ὑπολαμβάνειν*, *εἰδέναι*, *βουλεύειν*, *πείθειν*, *πυνθάνεσθαι*, *διαβάλλειν*, *εἰκάζειν*, *ἐλπίζειν*[1]) (*ἐπελπίζειν*), *ἀκούειν*. *ὁρᾶν*, *ἐνθυμεῖσθαι*, *κατανοεῖν*, simil. — Quæ enuntiationes aut Accusativi vice funguntur, ut in I, 82, 1, *μήτε πόλεμον ἄγαν δηλοῦντας μήθ' ὡς ἐπιτρέψομεν*, aut Genitivi, ut in VIII, 68, 3, *αἰτιαθεὶς ὡς ξυγκατέστησε*, aut pro Dativo ponuntur; nam quam maxime propria ea consuetudo erat Græcis scriptoribus, ut totæ enuntiationes pro substantivis haberentur, qua re quoque singulares quædam consecutiones verborum apud eos inveniuntur; exemplum satis evidens legitur in I, 68, 2, *τῶν λεγόντων μᾶλλον ὑπενοεῖτε ὡς ἕνεκα τῶν αὑτοῖς ἰδίᾳ διαφόρων λέγουσιν*. In enuntiatis, de quibus nunc loquimur, Indicativus sæpissime usurpatur, et post tempora primaria et post historica, quæ dicuntur. Indicativus legitur in: I, 32, 1. 34, 1. 70, 1. 73, 1. 82, 1. 86, 1 (ubi de *ὡς οὐκ* vide Boehmium ad h. l.). 86, 3. 90, 3. 93, 3. 139, 4. 141, 2. II, 41, 1. III, 13, 1. 24, 3. 38, 2. 63, 1. 63, 3. 88, 2. 109, 3. IV, 21, 3. 25, 6. 27, 3. 108, 4. V, 7, 1. 35, 2. 44, 2. 45, 1. 45, 3. 55, 3. 63, 2. 89, 1. 91, 2. VI, 9, 3. 35, 1. 60, 2. 82, 1. 83, 2. 84, 1. VII, 48, 4. 63, 2. 69, 2. VIII, 1, 1. 45, 2.

---

[1]) Quod grammatici (vide Matthiæi Gr. gr. § 534. A. 3. et Kruegeri Gr. gr. 1. 65. 1. A. 4.) tradunt, post *ἐλπίζειν*, *ἐλπὶς*, simil., enuntiationem ab *ὡς* incipientem rarissime poni, a veritate alienum est. Hi enim loci apud Thucydidem unum a nobis adnotati sunt ad contrariam sententiam probandam: I, 81, 2, *μὴ τῇ ἐλπίδι ἐπαιρώμεθα, ὡς* ... II, 42, 3, *πενίας ἐλπίδι, ὡς κἂν ... πλουτήσειεν*. III, 40, 1, *προθεῖναι ἐλπίδα, ὡς ... λήψονται*. 46, 1, *ἀνέλπιστον καταστῆσαι ... ὡς* ... IV, 81, 2, *ἐλπίδα ἐγκατέλιπε, ὡς κτέ*. V, 9, 2, ... *ἐλπίσαντας ως ἂν ἐπεξέλθοι τις*. VI, 30, 3, *μετ' ἐλπίδος ... τὰ μὲν ὡς κτήσοιντο* ... VIII, 1, 1, *ἐπήλπισαν ὡς λήψονται Σικελίαν*. 54, 1, *ἐλπίζων ὡς* ... 94, 2, *δι' ἐλπίδος ὡς* ... Cfr. III, 88, 2, *νομίζουσι ὡς* ... V, 42, 2, *ἐπὶ προφάσει ὡς* ...

54, 1. 68, 3. 72, 1. 74, 3. 78, 1. 81, 3. 87, 3. 89, 1. 98, 2. Optativus post tempora historica positus est in I, 38, 1. 72, 1. 133, 1. III, 97, 1. IV, 11, 3. 83, 2. 108, 2. 122, 2. V, 21, 2. VI, 8, 2. 28, 2. 35, 1. 46, 4. VII, 25, 7. VIII, 6, 4. 24, 4 (cfr. I, 86, 1). 45, 4. 53, 2. 83, 2. 85, 3. 86, 2. — Indicativus vel Optativus cum *ἂν* conjunctus invenitur; de ipsa re conferas velim quod dixit Kuehnerus in Gr. gr. II, § 770. et Kruegerus in Gr. gr. I, § 54. 6. 6. Exempla sunt apud Thucydidem: III, 40, 6, ... *καὶ ὡς πρὸ παντὸς ἂν ἐτιμήσασθε αὐτοὺς χειρώσασθαι*, ubi ex verbis proxime antecedentibus *διανοηθέντες* vel aliud tale supplendum est. III, 59, 1, *κατανοοῦντας ... ὡς ἀστάθμητον τὸ τῆς ξυμφορᾶς ᾧτινί ποτ' ἂν καὶ ἀναξίῳ ξυμπέσοι*. Cfr. I, 40, 1. V, 9, 2. VI, 52, 1. — Apud verba passiva et intransitiva talis enuntiatio subjecti locum tenet: I, 40, 1, *ὡς ... ἐρχόμεθα ... δεδήλωται*. VI, 28, 1, *μηνύεται ... τὰ μυστήρια ... ὡς ποιεῖται*. Cfr. IV, 95, 1. VIII, 87, 3. 94, 1; ubi Indicativus usurpatus est; Optativus in II, 48, 1, *ἐλέχθη ... ὡς φάρμακα ἐσβεβλήκοιεν*, et III, 3, 3; Optativus cum *ἂν* conjunctus in VI, 52, 1, *ἐσηγγέλλετο ... ὡς ... προσχωροῖεν ἄν*. In V, 49, 4, illud *ὡς μὲν οὐκ ἀδικοῦσι* pro accusativo rei habendum est. Eadem ratione dicitur in I, 34, 2, *ὡς δὲ ἠδίκουν, σαφές ἐστιν*. Si ejusmodi enuntiata majore vi efferenda sunt, ante sententiam primariam ponuntur, ut in I, 86, 3, et II, 41, 1. — Verbum *εἶναι* sæpe omittitur, cujus rei exempla vides in I, 34, 1. II, 17, 1. 88, 1. III, 94, 3. IV, 59, 2. 61, 2. 92, 1. VI, 34, 1. 92, 1. VII, 68, 2.

Ac sæpe hujus generis enuntiata ad substantivum quoddam sententiæ primariæ, quod diligentiore explicatione egeat, proxime referenda est. Ea substantiva sunt, quæ vim narrandi vel hortandi habeant aut affectum quendam animi indicent. Sæpissime hoc modo usurpantur *λόγος* et *ἐλπίς*; cetera sunt *ὄνομα, παράδειγμα, αἰτία, κατάμεμψις, τεκμήριον, δόκησις, παράκλησις, προσδοκία, ἐπι-*

στολή, μάρτυς, θροῦς, πρόφασις. Usus modorum prorsus idem est in his enuntiationibus declarativis atque in iis, qui objecti loco positæ sunt. Indicativus frequentissimus est et legitur in I, 37, 1. 81, 2. 140, 5. II, 41, 2. III, 40, 1. (46, 1.) 66, 1. IV, 66, 1. 81, 2. 87, 1. 87, 2. 92, 3. V, 16, 3. 27, 2. 42, 2. 89, 1. VI, 33, 6. 77, 1. 104, 1. VII, 12, 3. VIII, 2, 2. 14, 2. 32, 3. 33, 2. 51, 1. 92, 10. auditur in V, 29, 2. 76, 2. Optativus usurpatus est in VI, 30, 3. VIII, 53, 1. 65, 3. Indicativus cum *ἄν* conjunctus in III, 53, 3. Optativus cum eadem particula jungitur in II, 42, 3. VI, 92, 4. VIII, 94, 2. Pro exemplo afferre satis erit IV, 92, 3, *παράδειγμα ἔχομεν τούς τε ... Εὐβοέας ... ὡς αὐτοῖς διάκειται.*

In nonnullis locis particula *ὡς* interrogationem indirectam, quæ dicitur, inferre videtur, ita ut vim particulæ *ὅπως* habeat[1]). Exempla Thucydidea sunt: V, 7, 3, ... *ἐθεᾶτο ... τὴν θέσιν τῆς πόλεως ... ὡς ἔχοι.* 105, 3, *πρὸς δὲ τοὺς ἄλλους ... εἰπεῖν ὡς προσφέρονται* (Schol. *ὅπως ἔχουσι*). VI, 91, 1. ... *εἰδότος ὡς διενοήθημεν* ... VII, 42, 3, *ἰδὼν ὡς εἶχε τὰ πράγματα.* 77, 2, *ὁρᾶτε δὴ ὡς διάκειμαι ὑπὸ τῆς νόσου.*

Commemorandi etiam sunt illi loci, in quibus *ὡς* finem et consilium actionis significat. Vis particulæ prima ac principalis in his locis facillime cernitur et integra fere retinetur. Optime hanc rem explanasse Nægelsbachius[2])

---

[1]) Cfr. Kuehneri Gr. gr. II, § 837. A. 3. — Hartungus in "Ueber die Casus &c.", pag. 290 sqq.: "es geschicht auch, dass die Partikeln der Hypothesis ... zu Fragwörtern werden, aber natürlich nur in der indirecten Frage, wo Frage und Relation gemischt sind. Und was diesen begegnete, widerfuhr auch andern Relativen, etc.

[2]) Anmerk. zur Ilias, I, 32: "Auch unser damit ist eigentlich relatives Adverbium und im Grunde nichts Anderes als womit, mit welchem Thun, d. i. *ὅ,τι ποιῶν.* Vgl. ... Od. ε, 164. *ἴκρια*

nobis videtur in libro, quem jam supra laudavimus. Dicit ille particulam finalem *ὡς* nihil aliud esse, quam adverbium relativum, cui intelligendum est *ποιῶν* vel tale quid. Cfr. Odyss. ω, 360, *ἔνθα δὲ Τηλέμαχον καὶ ... προὔπεμψ', ὡς ἂν δεῖπνον ἐφοπλίσσωσι τάχιστα,* i. e. *ὅ,τι ποιοῦντες* vel *ὅ,τι ἐὰν ποιῶσι, κτέ.* Conjungitur *ὡς* cum conjunctivo, quo res nondum ad effectum perducta sed in futurum tempus spectans indicatur; si eventus non nisi certa conditione evadere cogitatur., additur particula *ἄν.* Optativus cum *ὡς* conjungitur, si tantummodo cogitatio eventus, non ipse eventus ponitur; qua re post tempora historica vel in narratione rei factæ usurpari solet. — *ὡς ἂν,* sequente conjunctivo, legitur in uno loco VI, 91, 3, *πέμψετε ... ἄνδρα Σπαρτιάτην ἄρχοντα, ὡς ἂν τούς τε παρόντας ξυντάξῃ καὶ τοὺς μὴ θέλοντας προσαναγκάσῃ*[1]. Optativus usurpatur in IV, 4, 2, *τὸν πηλὸν ... ἐπὶ τοῦ νώτου ἔφερον, ἐγκεκυφότες τε ὡς μάλιστα μέλλοι ἐπιμένειν.*

In enuntiatione consecutiva *ὡς* pro *ὥστε* semel usus est Thucydides. VII, 34, 5, *ναυμαχήσαντες δὲ ἀντίπαλα καὶ ὡς αὐτοὺς ἑκατέρους ἀξιοῦν νικᾶν*[2].

πῆξαι ἐπ' αὐτῆς ..., ὥς σε φέρῃσιν ... Es ist in diesen Beispielen leicht ersichtlich, wie in *ὡς* die Bedeutung damit und auf welche Weise in einander spielen".

[1]) Kruegerus ad Dion. Halic. pag. 332 legendum putat *ὅς ἄν*; nam *ὡς ἂν* cum conjunctivo ibi tantum locum habere dicit, ubi consilii eventus in dubio sit. Nonne vero eventus, qui ex conditione quadam pendet, semper in dubio est? Quod dubium non tollitur posito *ὃς ἂν* pro *ὡς ἄν.* In editione sua ad hunc locum adnotavit, se pronomen *ὃς* cum indic. fut. conjunctum, omissa particula *ἂν,* potius exspectasse. In mss. quibusdam legitur *ὃς ἄν.*

[2]) De accus. *αὐτοὺς ἑκατέρους* vide Lobeckium ad Phryn. pag. 750.

Sed ad alia jam transgrediamur. Particula illa ὡς, et quæ est relativa et quæ demonstrativa, non solum modum et rationem indicat sed etiam ad temporis significationem usurpatur. Cujus usus exempla jam apud Homerum leguntur, quorum unum afferre satis erit, Iliad. 14, 294, ὡς δ' ἴδεν, ὥς μιν ἔρως πυκινὰς φρένας ἀμφεκάλυψεν[1]). Sed demonstrativum vocabulum plerumque omittitur; invenitur tamen apud Thucydidem in V, 73, 3, οἱ μὲν Ἀθηναῖοι ἐν τούτῳ, ὡς παρῆλθε ... τὸ στράτευμα, ... ἐσώθησαν. Cfr. VI, 31, 1, ἐν τῷ παρόντι καιρῷ, ὡς ἤδη ἔμελλον ... ἀλλήλους ἀπολιπεῖν ... Si sententia ab ὡς incipiens antecedit, in enuntiatione, quæ sequitur, interdum ponitur οὕτω δή, τότε δή, ut in II, 12, 3. 84, 2. IV, 73, 5. 75, 1. 127, 1. VIII, 99, 1. Particula ὡς in his enuntiatis usurpata denotat ea, quæ dicuntur in duabus illis sententiis, quæ inter se conferuntur, uno eodemque tempore fieri. Indicativus in ejusmodi locis semper fere usurpatur; conjunctivo cum ἄν nusquam usus est Thucydides; optativus semel legitur in IV, 56, 1, ἡσύχασαν, ὡς καθ' ἑκάστην φρουρὰν γίγνοιτό τις ἀπόβασις, ubi frequentia incerta significatur. — Etiam pro ἐξ ὅτου particula ὡς nonnunquam usurpatur, ut in IV, 90, 3, ἡμέρᾳ δὲ ἀρξάμενοι τρίτῃ ὡς οἴκοθεν ὥρμησαν. Cfr. V, 20, 1. (Eodem modo ὅτε in I, 13, 2.) Quod ad ipsam sedem verborum attinet, observare debemus, particulam satis procul ab initio enuntiationis interdum poni, ut in I, 134, 1, ἑνὸς μὲν τῶν ἐφόρων τὸ πρόσωπον προσιόντος ὡς εἶδε ... Cfr. II, 79, 4. 81, 4. III, 4, 1. 5 1. IV, 44, 3.

Ea vero, quæ eodem tempore sunt, facillime ita inter se conferri possunt, ut alterum alterius caussa et ratio habeatur; ex quo fit, ut in plurimis locis non facile sit

---

[1]) Plura exempla vides apud Fritschium in „Vergleich. Bearb. der Griech. u. Lat. Partikeln, (Giessen 1856), I, pag. 97.

dijudicare, utrum particulæ ὡς vis temporalis an caussalis tribuenda sit; tam arcte enim inter se cohærent hæ significationes, ut sæpe vix secerni possint et ex legentis arbitrio pendeat, utram in quoque loco vim et significationem inesse arbitretur. Interdum tamen vis caussalis, quæ dicitur, tam aperta est, ut locus ambiguitati non sit. Exempla leguntur in I, 124, 1, μὴ μέλλετε ..., ὡς οὐκέτι ἐνδέχεται ...[1]) (τὸ ὡς ἀντὶ τοῦ γάρ. Schol.). II, 64, 5, μήτε ἔνδηλοι ἔστε ... βαρυνόμενοι, ὡς ... οὗτοι ... κράτιστοί εἰσιν. Cfr. III, 16, 2. V, 52, 1. 61, 4. VI, 103, 2. VII, 15, 1. 81, 2. VIII, 35, 3; al. Indicativus in ejusmodi enuntiatis a Thucydide semper usurpatur, si exceperis V, 46, 3, εἰπεῖν τε ἐκέλευον ὅτι καὶ σφεῖς ... πεποιῆσθαι, ὡς παρεῖναι γ' αὐτοὺς αὐτοῦ τούτου ἕνεκα, ubi in oratione obliqua infinitivus positus est, et V, 111, 5, ὡς ... πλεῖστ' ἂν ὀρθοῖντο, ubi optativus cum ἂν conjungitur, de qua re conferas, si placet, Kuehneri Gr. gr. II. § 813, 2. Huc non recte referre videtur Klotzius (l. l. II, pag. 760) locum IV, 65, simil.; h. l. particula non prorsus eandem vim habet atque in locis supra laudatis.

Propter affinitatem, quæ est inter enuntiationes caussales et temporales, tota earum series, nulla distinctione facta, enumerabitur: I, 9, 2. 19, 1. 26, 3. 27, 1. 29, 3. 47, 1. 48, 2. 61, 1. 61, 2. 63, 1. 63, 2. 64, 2. 65, 1. 72, 1. 102, 1. 103, 1. 109, 2. 116, 1. 126, 6. II, 3, 1. 4, 1. 5, 2. 13, 1. 18, 1. 21, 3. 31, 1. 33, 2. 57, 1. 59, 1. 68, 5. 74, 1. 77, 1. 90, 3. 92, 2. 94, 2. III, 7, 3.

---

[1]) De ratione, qua particula caussalis ὡς scriberetur, multum disputaverunt viri docti. Nitzschius in adn. ad Odyss. (Hannover 1826) 2, 137, ὧς (demonstrative usurpatum) scribere vult. Contra Lehrsius, l. l. pag. 161, docet particulam ὡς apud Homerum numquam significare: nam, neque umquam fieri posse, ut omnibus locis affirmetur sitne ὡς an ὥς scribendum. Omnes fere recentiores recte, ut opinor, scribunt ὡς; nam relativum esse satis apparet.

22, 3. 23, 1. 26, 3. 27, 1. 28, 2. 33, 3. 36, 4. 37, 2. 51, 3. 60, 1. 68, 1. 69, 1. 69, 2. 75, 3. 81, 2. 85, 2. 88, 2. 91, 2. 95, 2. 102, 3. 103, 1. 106, 1. 108, 1. 108, 3. 111, 1. 112, 3. 112, 5. 113, 3. IV, 3, 1. 4, 1. 6, 1. 13, 2. 15, 1. 15, 2. 25, 6. 33, 1. 35, 1. 42, 4. 47, 1. 48, 1. 57, 2. 68, 2. 70, 1. 70, 3. 71, 2. 73, 4. 74, 4. 79, 1. 89, 1. 89, 3. 90, 4. 93, 2. 94, 2. 96, 4. 101, 2. 104, 2. 110, 1 110, 2. 111, 2. 116, 1. 117, 3. 122, 2. 125, 2. 128, 2. 129, 5. 130, 3. V, 3, 1. 6, 1. 8, 1. 10, 3. 10, 4. 22, 2. 32, 3. 36, 1. 37, 3. 38, 5. 40, 1. 46, 5. 50, 1. 50, 2. 54, 2. 55, 3. 57, 1. 59, 2. 65, 1. 72, 1. 72, 3. 73, 1. 73, 2. 80, 3. 83, 1. 84, 3. 112, 1. 114, 1. 116, 1. 116, 2. VI, 7, 3. 44, 3. 50, 1. 50, 3. 51, 2. 52, 1. 54, 4. 57, 1. 57, 2. 60, 2. 61, 6. 62, 2. 65, 3. 66, 3. 74, 2. 96, 1. 97, 4. 98, 3. 102, 1. 102, 2. 104, 1. VII, 3, 3. 4, 2. 17, 2. 23, 1. 27, 1. 30, 2. 33, 2. 35, 2. 42, 3. 43, 1. 50, 3. 73, 3. 81, 1. 81, 2. 83, 1. 84, 2. VIII, 10, 2. 16, 2. 16, 3. 17, 1. 17, 3. 19, 2. 20, 2. 23, 3. 23, 4. 25, 3. 27, 1. 28, 2. 31, 1. 31, 2. 32, 1. 33, 3. 34, 1. 35, 2. 38, 3. 40, 2. 40, 3. 43, 1. 51, 1. 60, 3. 62, 2. 63, 1. 70, 1. 71, 3. 74, 2. 77, 1. 79, 2. 79, 4. 83, 1. 84, 2. 92, 6. 94, 3. 95, 2. 96, 1. 100, 4. 102, 1. 103, 1. 104, 1. 108, 2.

Si hanc vim caussalem, de qua nunc mentionem fecimus, cum ea contulerimus, quam habet particula ὡς vel cum participiis, vel cum nomine, præpositioni subjecto, conjuncta, et quam eandem nonnumquam sibi vindicat particula illa ad Indicativum vel Optativum posita, facile inveniemus, quid sit discrepantiæ inter has duas significationes. In omnibus his locis caussa quidem et ratio alicujus rei indicatur, sed in enuntiatis caussalibus, quæ dicuntur, rem ipsam, qualis per se est, is qui loquitur commemorat; in ceteris vero locis nihil nisi opinionem suam, nulla ratione habita utrum vera an falsa sit, pronuntiat.

Kruegerus in indice vocabulorum, quem editioni suæ addidit, ὡς ait idem fere significare quod ὅς[1]. Qua re ne

[1]) In l. l. pag. 304: ὡς (synonym) mit ὅς.

quis perducatur, ut ὡς atque ὅς idem valere ac promiscue usurpari credat, locos quos huc retulit Kruegerus paulo diligentius perscrutabimur. In III, 69, 1, legitur *αἱ δὲ ... νῆες ... αἱ Λεσβίοις βοηθοὶ ἐλθοῦσαι, ὡς τότε φεύγουσαι διὰ τοῦ πελάγους ... πρὸς τὴν Πελοπόννησον κατηνέχθησαν, καταλαμβάνουσιν ... τρεῖς καὶ δέκα τριήρεις ...* Qui vero hoc loco particulam ὡς aut idem significare atque pronomen αἵ, aut in id commutandam esse putaverit, is sententiam satis dilucidam non recte intellexit. Nam apertum est, significationem temporalem h. l. particulæ vindicandam esse; ab ὡς pendet κατηνέχθησαν, et interpretandum est: „naves ..., quum tempore ante commemorato (= τότε) per mare fugientes ... ad Peloponnesum appulissent, ad Cyllenen offendunt tredecim triremes", cet. Si αἵ pro ὡς legimus, et deterior fit sententia, et male sonans iteratio vocabuli αἵ oritur. Omnes codd. habent ὡς. — Alter est locus V, 6, 1, *ὁ δὲ Κλέων, ὡς ἀπὸ τῆς Τορώνης τότε περιέπλευσεν ..., Σταγείρῳ μὲν προσβάλλει ...* Vulgo scribitur ὅς; quum vero in quibusdam codd., iisque bonis, ὡς scriptum invenitur, quod ipsum Thucydidis consuetudini consentaneum videtur, omnes fere recentiores ὡς ediderunt; particulam hoc quoque loco ad temporis significationem usurpatam esse, non monendum putamus. Illud τότε spectat ad rem antea narratam (in V, 3, 4), quamobrem etiam pronomen relativum in eadem enuntiatione non satis apte usurpatur; de qua re præclare dicit Haackius (in ed. Thuc., Lips. 1820, adn. ad h. l.): „Cursum hunc ipsum jam supra c. 3 extr. demonstraverat. Ergo ὡς, quod eo spectat, aptius est, quam ὅς, quod pronomen rem tamquam novam necdum dictam indicat". — Neque alia ratione locus VIII, 31, 1, *ὁ δ' Ἀστύοχος, ὡς τότ' ἐν τῇ Χίῳ ἔτυχε ... τοὺς ὁμήρους καταλεγόμενος, τούτου μὲν ἐπέσχεν ...* expediendus est. In V, 10, 8, *καὶ ὁ μὲν Κλέων, ὡς τὸ πρῶτον οὐ διενοεῖτο μένειν, εὐθὺς φεύγων ... ἀποθνήσκει,* primo aspectu ex ὡς — εὐθύς colligere

licet, particulam vim temporalem habere. Neque in cod. ullo ὅς his locis scriptum est.[1])

Restat, ut de iterata particula ὡς deque omissa aliquid dicamus. Cujus rei, quæ est varietas sermonis Thucydidei, haud pauca exempla inveniuntur. Sæpius tamen ὡς omittitur, quia ejus iteratio aures offendit; ex quo efficitur ea consuetudo loquendi, ut ὡς, quod ad plura enuntiata vel ad plura verba, inter se copulata, referendum sit, semel tantummodo legitur. Nihil differt, utrum verba, quæ cum particula quadam conjuncta sunt, idem subjectum, quod dicitur, habeant nec ne. Interdum tamen integra locutio reperitur, ut in III, 59, 2, *ἡμεῖς τε, ὡς πρέπον ἡμῖν καὶ ὡς ἡ χρεία προάγει, αἰτούμεθα ὑμᾶς* ... IV, 44, 3, *κονιορτὸν δὲ ὡς εἶδον καὶ ὡς ἔγνωσαν* (alterum ὡς omittunt codd. quidam) ... VI, 2, 2, *ἀρκείτω δὲ ὡς ποιηταῖς τε εἴρηται καὶ ὡς ἕκαστός πῃ γιγνώσκει περὶ αὐτῶν*. Particula ὡς non iteratur in I, 63, 2, *ὡς ἡ μάχη ἐγίγνετο καὶ τὰ σημεῖα ἤρθη* ... II, 12, 3, *ὡς δὲ ἀφίκετο* ... *καὶ ἔγνω* ... 84, 2, *ὡς δὲ τό τε πνεῦμα κατήει καὶ αἱ νῆες* ... *ἐταράσσοντο καὶ* ... *καὶ* ... IV, 3, 1, *καὶ ὡς ἐγένοντο* ... *καὶ ἐπυνθάνοντο* ... VI, 9, 3, *ὡς δὲ οὔτε* ... *σπεύδετε οὔτε ῥᾴδιά ἐστι κατασχεῖν ἐφ᾽ ἃ ὥρμησθε, ταῦτα διδάξω*. Cfr. IV, 48, 1. 111, 2. V, 40, 1. VI, 2, 4. 35, 1. 74, 2. VIII, 62, 2. Eodem modo apud superlativa: I, 129, 2, *πράσσειν ὡς ἄριστα καὶ πιστότατα*. Similiter, si non eadem consecutio verborum usurpata est in iis, quæ inter se sunt conjuncta, particula ὡς non iteratur, ut in IV, 5, 1, ... *ἐν ὀλιγωρίᾳ ἐποιοῦντο, ὡς* ... *ἢ οὐχ*

---

[1]) Nobis persuasum est omnibus his locis pronomen relativum pro ὡς non bene usurpari posse. Sed Kruegerus (in adn. ad Dion. Halic. pag. 332) recte Haackium conjecisse putat, pro ὅς cum mss. quibusdam ὡς legendum esse, "non tamen propterea, quod hæc lectio aptior, sed quod difficilior est." Sed nihil sane difficultatis in his locis inest.

ὑπομενοῦντας σφᾶς ἢ ῥᾳδίως ληψόμενοι βίᾳ. Eodem modo ad genitivos absolutos et participium futuri, particula καὶ copulante, priore tantummodo loco ὡς ponitur in V, 43, 3, κελεύων... ἥκειν..., ὡς καιροῦ ὄντος καὶ αὐτὸς ξυμπράξων τὰ μάλιστα. Cum hoc conferre licet VII, 5, 3, διανοεῖσθαι οὕτως ἐκέλευεν αὐτοὺς ὡς τῇ μὲν παρασκευῇ οὐκ ἔλασσον ἕξοντας, τῇ δὲ γνώμῃ οὐκ ἀνεκτὸν ἐσόμενον ...[1]).

De præpositione ὡς quoque aliquid nobis est adnotandum. Jam de origine hujus præpositionis magna est inter viros doctos dissensio. Hartungus[2]) conjunctionem ὡς negat ex eadem voce primitiva ducendam esse, atque præpositionem, quam nihil nisi formam ab Atticis scriptoribus usurpatam pro dorica ἄρ (ἄς), lat. ad (cfr. ar-biter), esse existimat. Kuehnerus originem præpositionis a pronomine repetendam putat; ipsam significationem hujus præpositionis satis mirabili modo explicat[3]). Bernhardyus[4]) quoque ex pronomine præpositionem ducit. Hoogeveenus (l. l. pag. 585) de hac re dicit: „Interdum ὡς etiam præpositionis loco poni videtur; præsertim apud

---

[1]) Cfr. Kruegeri Gr. gr. I. 56. 14. 2.

[2]) Vide: "Ueber die Casus," pag. 155, sq.

[3]) Cfr. Ausf. gr. Gr. II. § 593. A. 2: "Die Präposition ὡς bezeichnet . . . nicht, wie die übrigen, ein räumliches Dimensionsverhältniss, sondern nur das Richtungsverhältniss, welches eigentlich durch die Kasus bezeichnet wird, und wird daher, wie wir weiter unter sehen werden, nur mit Personennamen verbunden." Cfr. § 604. — Quæ explicatio nulla est; quæ enim secernere voluit Kuehnerus, tam inter se cohærent, ut hoc sine illo ne cogitari quidem possit.

[4]) Cfr. l. l. pag. 215: "Dafür war ächt-Attisch ὡς mit dem Accus. im strengeren Ausdruck persönlicher Annäherung, doch nicht durchgängig, da die ursprüngliche Form (das adverbiale erklärende ὡς neben einem Accus. der Bewegung) nicht mehr als das Herzutreten zu anderem umfasst."

Atticos, ubi tamen omissam esse præpositionem ἐς vel ἐπί vel πρός, et ὡς vel abundare, vel obscuram ejus significationem esse, viri docti observarunt". Eandem fere sententiam Kruegerus amplecti videtur[1]). Alii hanc præpositionem idem esse atque ἕως censent. Doederleinius[2]) ingeniosius fortasse quam verius conjicit, ἕως et ὡς ex εἰ ὥς originem ducere. Fritschius[3]) ὡς idem esse censet atque ἕως, quod per synizesin interdum monosyllabum legitur, et confert illud Latinorum usque, quod etiam præpositionis locum tenet. Verisimile quidem est conjunctionem ac præpositionem ὡς eandem originem habere; sed de ipsa ratione, qua vis illa modalis ad eam, quam præpositio habet, transierit, non supra opiniones et conjecturas, ut videtur, sciri potest.

Nec minor est de usu præpositionis ὡς inter philologos dissensio, utrum cum solis hominum nominibus an cum rebus quoque conjungi possit. Prætereundo monendum est, hanc præpositionem jam ab Homero usurpari[4]). De usu ejus veteres grammatici tradunt, eam numquam fere nisi nominibus hominum adjunctam reperiri, rarissime vero cum regionum urbiumve nominibus conjungi. Gregorius Corinthius (§ XXXIII) dicit: "καὶ ἀντὶ τοῦ πρὸς τῷ ὡς χρῶνται, ὡς τὸν θεὸν λέγοντες καὶ ὡς τὸν διδάσκαλον, ἀντὶ τοῦ πρὸς τὸν θεὸν καὶ πρὸς τὸν διδάσκαλον". Anonymus Grammaticus Meermannianus de dialecto attica, § XXIII: "καὶ ἀντὶ τῆς πρός τῇ ὡς χρῶνται. ἀντὶ γὰρ πρὸς τὸν διδάσκαλον, ὡς τὸν διδάσκαλον (λέγουσιν)".

---

1) Cfr. Gr. gr. I. 69. 63. 4.

2) (Bremi und) Ludw. Döderlein im "Philologische Beiträge aus der Schweiz". I. Zürich 1819, pag. 303 sqq.

3) In "Bearb. der Gr. und Latein. Partikeln", II. pag. 104.

4) Cfr. Apollonii Sophistæ Lex. Hom. (ed. Imm. Bekker, Berol. 1833) pag. 170: τὸ ὡς ἀντὶ τῆς πρὸς. "ὡς αἰεὶ τον ὁμοῖον ἄγει θεὸς ὡς τὸν ὁμοῖον." (Od. 17, 218.)

Thomas Magister (l. l. pag. 409): "τὸ ὡς ... ἀντὶ τῆς εἰς προθέσεως ἐπὶ κινήσεως καὶ ἐπὶ ἐμψύχου. Ἀριστείδης ἐν τῷ πρὸς Θηβαίους περὶ συμμαχίας πρώτῳ λόγῳ· τότε μὲν γὰρ ἐλθόντων ὑμῶν ὡς ἡμᾶς ἠκούσαμεν. ἅπαξ δὲ καὶ ἐπὶ ἀψύχου Θουκυδίδης εἶπεν ἐν τῇ ὀγδόῃ. ἀπέπλευσαν ὡς Ἄβυδον. Hos sequuntur omnes fere grammatici recentiores, et aut ὡς ista significatione rebus inanimatis jungi prorsus denegant, aut, si quando nominibus locorum subjicitur, ibi tantummodo, ubi locus pro iis, qui sunt in eo loco, nominatur, recte poni censent. Si de usu hujus præpositionis apud Thucydidem quærere volumus, eam sæpissime de hominibus usurpari inveniemus; in locis I, 137, 1. II, 67, 1, (ὡς Φαρνάκην et ὡς βασιλέα). 73, 2. III, 36, 3. 39, 6. 114, 2. IV, 50, 3. 79 1. 132, 3. V, 4. 3. 80, 2. VI, 59, 5. VII. 39, 2. 77, 6. 82, 1. VIII, 26, 2. 50, 2. 54, 3. 80, 1. 82, 2. omnes codd. habent ὡς. Sed persæpe in libris permutatur cum εἰς vel ἐς (nonnumquam cum πρὸς), ut videre licet ex hoc indice varietatis lectionis, quem auctore Morstadtio[1]) fecimus:

I, 74, 1,	ὡς ὑμᾶς	εἰς ὑμᾶς Ar.
I, 90, 3,	ὡς αὐτοὺς	εἰς αὐτοὺς Gr. i.
I, 133, 1,	ὡς αὐτὸν	εἰς C. A. P.
II, 15, 1,	ὡς τὸν βασιλέα ..	ἐς Ar.
II, 67, 1,	ὡς βασιλέα	ἐς βασιλέα i.
II, 67, 1,	ὡς Σιτάλκην	ἐς Σιτάλκην Mq.
II, 67, 2,	ὡς βασιλέα	ἐς βασιλέα Cl.
III, 13, 1,	ὡς ὑμᾶς	πρὸς f. ὡς πρὸς c.
IV, 118, 9,	ὡς ἀλλήλους	ἐς ἀλλήλους d.
IV, 132, 2,	ὡς Βρασίδαν	ἐς e.
V, 6, 2,	ὡς Περδίκκαν ...	ἐς c. d. i.
V, 44, 2,	ὡς τοὺς Ἀθηναίους.	ἐς e.
V, 46, 1,	ὡς αὐτοὺς	πρὸς αὐτοὺς Mq.

[1]) In edit. Thucyd., Francofurti a. M. 1830.

VII, 48, 3, ὡς αὐτόν . . . . . . πρὸς αὐτὸν d. i.
VIII, 5, 1, ὡς Ἆγιν . . . . . . ἐς e.
VIII, 31, 2, ὡς Ἀστύοχον . . . . καὶ Ar. Ch. D. (ἐς Φώκαιαν καὶ Ἀστύοχον).
VIII, 39, 2, ὡς Φαρνάβαζον . . . ἐς B. L. sed in hoc ὡς superscriptum.
VIII, 56, 1, ὡς τὸν Τισσαφέρνην. ἐς Mq.
VIII, 81, 1, ὡς τὸν Τισσαφέρνην. ἐς Mq. c.

Ex aliis aliquot locis Thucydideis Doederleinius (l. l. pag. 314 sq.) demonstrare vult, usum controversum præpositionis ὡς de re inanimata apud Thucydidem apertissimum esse, Poppone aliisque quam maxime repugnantibus. In I, 50, 5, ex magna varietate lectionum[1]) recte, ut videtur, restituerunt ὡς ἐς ἐπίπλουν. Loco V, 17, 2, παρασκευὴ ... περιαγγελλομένη κατὰ πόλεις ὡς ἐπὶ τειχισμὸν, Doederleinius retinere vult ὡς ἐπιτειχισμόν: sed non satis firmis argumentis uti videtur, quin a Poppone ceterisque refutentur.[2]) Neque credere

---

[1]) "ὡς ἐς ἐπίπλουν J. Vt. Reg. B. Mq. e. f. h. l. m. correctus Cl. marg. 2. Steph. Tus. ὡς ἐπὶ πλοῦν C. ἐς ἐπιπλοῦν marg. 1. Steph. ὡς ἐπίπλουν ceteri." Morstadt. Cfr. IV, 38, 3, ὡς ἐς πλοῦν.

[2]) Doederleinius l. l. pag. 314: "Die Lesart ὡς ἐπὶ τειχισμὸν, die der Kritiker, wenn der Sinn sie forderte, kaum von Hdschr. abzuwarten brauchte, billigt Duker und opfert so die Geschichte einer vermeintlichen Grammatik auf; denn nur ἐπιτειχισμός bezeichnet die Befestigung eines gelegenen Orts im feindlichen Land." — Poppo in Commentt. I. pag. 318: "In verbis παρασκευὴ . . . ὡς ἐπιτειχισμόν V, 17, in quibus solis optimi libri illud ὡς ante rem vita et sensu carentem constanter tuentur, vulgata, ut nostro in loco, vel ideo ferri nequit, quia ex ea ὡς consilium rei gerendæ exprimere necesse esset, quum, ubi præpositio est, quo fiat profectio (die blosse Richtung einer Bewegung) indicet. Vera est igitur scriptura cod. Gr. tantum in accentibus discrepans ὡς ἐπὶ τειχισμόν." — Cfr. Commentt. III, pag. 482.

possumus, præpositionem ὡς cum substantivis abstractis, quæ dicuntur, umquam conjungi. Sed de usu præpositionis cum nominibus locorum conjunctæ, major dubitatio exoriatur necesse est. Nam in numero haud exiguo locorum Thucydideorum multi codices præbent ὡς cum nominibus urbium aut regionum conjunctum. Doederleinius enumerat locos VIII, 5, 1, ὡς τὴν Εὔβοιαν pro ὡς ἐς ... VIII, 36, 1, ὡς τὴν Μίλητον pro ἐς ... VIII, 103, 1, ὡς Ἄβυδον pro ἐς ... VIII, 1, 1, ὡς δὲ τὰς Ἀθήνας pro ἐς ... VIII, 17, 1, ὡς Μίλητον pro ἐς ... V, 76, ὡς Ἐπίδαυρον (Ms. Clar.). De loco VIII, 5, 1, ait Poppo (Commentt. 1. pag. 319): „... soli Reg. Gr. D. I. Mosqu., exiguæ auctoritatis libri, ἐς, alii nonnulli, in quibus præter Cass. nullus bonus, ὡς ignorant, rursus autem ambæ particulæ requiruntur.“ De VIII, 36, 1, dicit, non solum duos libros Parisienses[1]), sed etiam præclarum Vat. ὡς in ἐς mutare; de VIII, 103, 1, Thomam Magistrum, et qui eum exscripserint, depravatos mss., K. Ar. Chr. Dan., secutos esse, dum meliores libri recte servent vulgatum ἐς; in VIII, 17, 1, pro ἐς cum Gr. et Mosqu., libris parum probis, ὡς legere vel propterea neminem velle, quod ὡς statim sequatnr; de V, 76, ὡς Ἐπίδαυρον in Cl. plane non inveniri. In VIII, 1, 1, unus tantummodo codex isque corruptissimus ὡς pro ἐς habet. — Addit Doederleinius locum IV, 53, ubi in Anecdd. Bekk. p. 400 legitur ὡς τὸ Κρητικὸν πέλαγος pro πρὸς τὸ Κ. π. Conferri potest locus IV, 79, 1, ὡς Περδίκκαν καὶ ἐς τὴν Χαλκιδικήν, ubi codd. quidam (L. Ar. Ald. Bas.) omittunt ἐς. — Ex

---

sq.: „... Sed quum τειχισμὸν etiam de munitionibus contra aliquem exstruendis dici ex VIII, 34, eluceat, et utrum hæ munitiones ad obsidendum hostem, an ad castellum faciendum erigantur, proprie vocabulo non significetur, æque recte pro ἐπιτειχισμός atque pro περιτειχισμός videtur collocari posse“.

[1]) „Von Gail mit französischer Aengstlichkeit verglichen“. Doed. l. l.

his omnibus concludere licet, nihil pro certo statui posse, utrum Thucydides cum nominibus locorum præpositionem illam conjunxerit nec ne. Nam ne in uno quidem loco, qui quidem huc referendus sit, consentiunt omnes codices. Attamen talem usum hujus vocabuli neque Thucydidi neque aliis scriptoribus Atticis prorsus derogare audemus; tantam enim fuisse inscitiam librariorum, ut tot in locis aliquid scriberent, quod contra omnem consuetudinem scriptoris totiusque linguæ indolem esset, haud facile credimus. Et apud alios scriptores loci quidam inveniuntur, qui nondum tam accurate examinati sunt, ut quam verum sit illud præceptum Atticistarum satis sciamus. Locus quam maxime memorabilis est in Sophoclis Trachin. v. 365, *ἥκει δόμους ὡς τούσδε* ..., ubi omnes libri præbent *ὡς*. Licet hoc *δόμους ὡς τούσδε* pro *ὡς ὑμᾶς τοὺς ἐν τοῖσδε τοῖς δόμοις* dictum accipiatur, hæc tamen explicatio præceptum illud non tuetur; quid enim impedit, quin omnes ejusmodi locos sic interpretemur, et, ut id pro exemplo afferamus, *ὡς Ἄβυδον* pro *ὡς τοὺς ἐν Ἀβύδῳ* positum existimemus? Concedendum quoque est, posteriores scriptores, ut Arrianum et Aelianum, regulam illam non servasse.

Sed propria præpositionis *ὡς* significatio magis perspicua erit, si eam cum *εἰς* et *πρός* contulerimus. Per præpositionem *εἰς* vel *ἐς*, quæ ex *ἐν* et *-σε* conflata putatur, nihil aliud significatur nisi cursus usque in aliquem locum directus, ita ut id, quod movetur, aut in hoc ipso consistat, aut, si id fieri nequit, quam proxime in eum progrediatur. Ac ne multa dicam, ubi de certo et constituto fine assequendo quæritur, hæc præpositio usurpatur. Hoc modo dicitur *ἐς Θήβην ἐλθεῖν*, in ipsam urbem venire; *ἐς Μενέλαον ἐλθεῖν*, usque ad Menelaum venire, ita ut quam minimo spatio a Menelao distet is, de quo mentio fit. Sed unde is, qui venit, egressus sit, utrum sua ipsius voluntate an jussu alius hominis aut casu quodam venerit, prorsus in incerto relinquitur. Ac præpositione *πρός*

(quam ex πρό et -σε conformatam esse existimant) cum accusativo conjuncta aliquid moveri denotatur, quasi intra conspectum ejus, in quem cursus dirigitur; ubi igitur de locis agitur, semper hac particula significatur, eum, qui profisiscitur, in hunc locum se vertere. Hoc modo apud Homerum usurpatur præpositio πρός in Il. 12, 239: πρὸς ἠῶ τ' ἠέλιόν τε, quod idem Romani dixerunt: versus orientem. Neque hac voce πρός proprie comprehenditur notio loci, unde motus ille inceperit, aut caussa hujus motus. Per præpositionem ὡς autem id significari putamus, ut de loco unde motus exierit magis cogitetur quam de ipso motu; nec tam qualis sit motus aut quo spectet quæritur, quam caussa motus et origo. Quare semper fere de itineribus hominum hanc præpositionem usurpatam esse invenimus; nam ex horum voluntate in hac re omnia pendent. Quod si verum est, præpositio ὡς ad eandem, ut videtur, originem, ex qua conjunctio ducitur, referri potest; nihil enim aliud est, quam ablativus caussæ et originis, ut a grammaticis vocatur, qui cum accusativo conjunctus et motum in aliquem locum et originem motus significat.

Hæc fere sunt, quæ de vi et usu particulæ ὡς apud Thucydidem dicenda habuimus. Nonnulla tamen sunt, quæ non nisi tractatis ceteris particulis relativis satis absolvi possint, quamobrem particulæ ὥσπερ, ὥστε, ὅπως non omittenda fuerunt. Sed liceat mihi hac excusatione uti: „edidi, quæ potui, non ut volui, sed ut me temporis angustiæ coëgerunt.“